



1704.

1. Borinus, Henricus: *De jure nobilitatis et vera ingenii late*
- 2<sup>a</sup> ~~1~~ Borinus, Henricus: *De modernis testamentorum abusu*
- 2<sup>b</sup> Boven, Henricus, de: *De modernis testamentorum abusu*
- 3<sup>a</sup> ~~1~~ <sup>Boehmer, Joannes Henricus:</sup> Henningus: *De jurebus capituli sede imperata*  
3 Exempl. 1704, 1729 - 1757
- 4<sup>a</sup> ~~1~~ <sup>Brunnemann, Jacobus:</sup> Brunmann, Jacobus: *De jure civitatum provinciarum. Von Recht zu Land - Grätz. 2 Exempl. 1704 - 1738*
5. Toummeier, Andreus Felix: *De vestito colorato*
6. Hoffmannus, Fredericus: *Dissertationes inq. medicae, criticae medicum sui ipsius.*
7. Kemmerich, Dieter. Henr.: *De corona Borussiae Fredericus reg. Electori a die 1<sup>ta</sup>*
8. Keuling, Johannes Theophilus: *De institutione actionum in rem non mutabile*
9. Lutzey, Joh. Oct.: *Paradoxon pro jure retractandi Brachetionem novis instrumentis repositis.*

1704.

10. Ludwig, Johannes Petrus: De jure Germanicus feudis  
Cognatis

10<sup>a</sup>, b, c. Ludwig, Johannes Petrus: De jure postumum hereditatis



*Paris*



16





DISSERTATIO IVRIDICO-POLITICA  
DE  
**IVRE LIMITVM  
PROVINCIALIVM**

Vom Recht 1704 46  
**der Land-Gränzen.**

QUAM  
PRAESIDE 1707  
**IACOBO BRVNNEMANNO**

I. V. D. ET PROFESSORE PVBL. EXTR.  
TVNC DESIGNATO ASSESSORE SCABINATVS REGII-  
PRVSSO-POMERANICI, VT ET STATVVM PRO-  
VINCIALIVM IBIDEM SYNDICO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
ERVDITORVM EXAMINI IN CATHEDRA SVBICERE VOLVIT  
BEATA MORTE PRAEVENTVS  
EIVSDEM AVTOR

**PANTHALEON RVDOLPHVS BERNDIS**

OSTERBVRGO-PALAEO-MARCHIVS.  
QVAE IN FIE DEFVNCTI MEMORIAM TYPIS EXSCRIPTA EST

VITEMBERGAE,  
SVMPVIBVS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1738.

(10)

Halae. 1704



INSTITATIO HEBRÆO-LATINA  
BY  
M. T. M. T. M.  
PROVINCIALIUM

1600  
M. T. M. T. M.  
PROVINCIALIUM

1600  
M. T. M. T. M.  
PROVINCIALIUM

1600  
M. T. M. T. M.  
PROVINCIALIUM







DE  
IVRE LIMITVM PRO-  
VINCIALIVM.

CAPVT I.

DE  
ORIGINE ET NATVRA LIMITVM  
PROVINCIALIVM.

SVMMARIA.

- S**uperflua nullorum cura circa enucleationem vocabu-  
lorum rejicitur cum Epicuro adversus Stoicos. §. 1.  
Origo Limitum, & quatenus illi Juris Naturalis  
sint. §. 2.  
An Dominium & inde fluens institutio finium ab Adamo  
derivandum sit? §. 3.  
Communis sententia, quomodo dominium rerum ab Adamo  
ad liberos ejus pervenerit, & inde ad Noachum. *ibid.*  
Communis rerum primæva negativa offeritur. §. 4.  
Mundo multiplicato demum Dominium & inde fines in bonis  
immobilibus orti. §. 5.  
Descriptio finium & divisio in artificiales & naturales. §. 6.  
Naturales termini caute explicandi. §. eod.

A

An



*An Deus fatales quosdam terminos Regnis posuerit? dubitatur. §. 7.*

*Finium mutatio per Imperia & Monarchias deducitur ex causis Politicis. §. 8.*

*Fines Imperii Germanici olim latiores, quam hodie. §. 9. Divisio finium Germaniæ in ejusdem X. Circulis conspiciuntur. §. 10.*

*Fines Germaniæ ultra hos circulos porriguntur, & de Circulo Bobemico Goldasti figmentum. §. 11.*

*Mutatio horum finium in Circulis constitutorum ansam supereditavit variis tumultibus in Germania. §. 12.*

*Fines Germaniæ in hisce circulis sapius mutari. §. 13. Tranquillitas Imperii nostri, si in statu quo relinquitur, & controversiæ de limitibus certorum ejusdem territoriorum. §. 14.*

*Fines publici sive territorium distinguuntur a finibus privatis. §. 15.*

*Varia signa propria recensentur, quibus Limites Territoriorum in Germania distinguuntur. §. 17.*

*Signa communia, quibus tam Territoria; quam alia Jurisdictiones secernuntur. §. 18.*

*Connexio cum Capite 11, de probatione & custodia finium Provincialium. §. 19.*

## §. I.

**S**olenne est Dissertationem quandam conscripturis, ab enucleatione vocabulorum rubricæ suæ auspiciū facere, quem morem religiose observandum esse, licet notiones vulgares & tritæ sint, ac legentes non minimo radio nauseaque afficiat longum hoc inutileque syrma; plerique verbis & opere ipso demon-



monstrant. Eum in finem videas ipsos, catervam Philosophorum, & inter hos Alpha & Omega, Divum Aristotem *Possev. Analyt. lib. 2. c. 2. & 24.* enucleationem vocabulorum solenniter commendantem, in medium adducere. Verum uti enucleatio & evolutio vocum temere reprehendi haud meretur, si opera versetur circa abstrusam vocis alicujus indolem, & varias eiusdem æquivocationes caute discernendas; ita justam censuram illi patiuntur, qui usum ab abusu discernere haud valentes, operosi sunt circa voces omnibus obvias, & sic crambem centies coctam lectori apponere haud erubescunt. Haud dubie permovit hoc inter alia *Epicurum*, ut curam circa enodationem vocum, *Zenoni & Stoicis* ad ineptias usque adamatam, non modo non sectatus, sed etiam in aliis insectatus fuerit, nodante A. Gellio *Noct. Atticar. l. 2. c. 9.* Uti autem pleraque ex Epicuri Philosophia non adeo absona impiaque sunt, ceu vulgus eruditorum existimat, dudumque vindicata sint a *Gassendo*, & ejus Epitomatore *Berniero*, aliisque, hinc etiam in hoc passu vestigia ejus premere placet, ac relictis otiosorum curæ rubricæ nostræ vocabulis, statim ad originem divisionemque finium me converto. Faxit Deus Feliciter.

§. II. Quilibet vero, vel nobis tacentibus, intelligit, quod fines sive limites in præsentī non sumantur in sensu metaphorico; sed proprie ad nostrum scopum pro extremis oris alicujus Principatus vel Provinciæ. Igitur termini & fines quatenus faciunt ad ordinem, ordo vero tranquillitatem generis humani conservat, eatenus fines Regionum & Provinciarum sunt Juris Universalis, quod sana & socialis ratio dicitur omnibus hominibus. Positionem finium igitur ac terminorum necessitas humana communisque utilitas non tam suavit, quam



quam iussit ac urfit. Quis enim quæso proprietatem suam quiete possidere poterit, nisi medio determinationis rerum. Conferatur Dn. Fritsch. *Tr. de District. Agror. cap. 3.* Unde nullo negotio concludi poterit, pendere divisionem finium ab arbitrio hominum: Prout enim hi terminos & fines constituerunt; vel illi postea per bellum, & subsecutam postea pacem, per pacta, transactiones vicissim mutantur & in aliam formam rediguntur; ita jus circa illos est. Porro, ut ad originem limitum propius accedamus, lubentes concedimus, quod cum ipso statim dominio rerum immobilium ejusque distinctione fines cœperint. Neque enim dominiorum distinctio tranquillaque ejus, quod uniuscujusque est, possessio concipi potest sine signo aliquo discretivo, quale sunt termini limitesque, quorum usus est, ut cuique, quod suum est, demonstrant, & alienis abstinere jubeant.

§. III. An vero hoc dominium, & inde profluens terminorum distinctio, mox ab Adamo inceperit; merito hic disceptatur. Afferunt id, ut celeberrimos duntaxat afferamus, Zieglerus *Nor. ad Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 2. §. 2.* Leyserus *Disput. de Propriet. Rerum §. 2.* Strauchius *de Dominio Maris c. 2. ib. 9.* Dn. a Kalpis *in Collegio Grotiano p. 35.* Obrecht. *D. ff. de Communi. cap. 3.* Hi suffragio multorum aliorum innixi dicam scribunt Grotio, quod origines proprietatis, quæ sine sacrarum literarum autoritate vix intelliguntur, fabulis Gentilium corruerit, ac pro cetera sua eruditione hic non versatus sit *de Jur. B. & Pac. lib. 2. c. 2. §. 2.* Hinc secundum horum Doctorum sententiam, Adamus ex donatione summi Numinis factus fuit totius terrarum orbis Dominus dominio pleno, illumque totum simul & semel possidere illico cœpisse; licet non actu & corporaliter eum obeundo, mente ta-

men



men & cogitatione. Cui asserto ne aliquid desit, prom-  
 pte, ac ex opinione ipsorum perquam apte, offertur ex-  
 emplum fundi in possessionem mittendi ex *L. 3. ff. A. vel A. P.* Interim solenniter protestantur Cardinalis  
 Lugo de *Iustit. & Jure Disp. 2. sect. 1. n. 4.* ut & Leyserus  
*loc. cit.* quod hanc donationem Dei non *privative*, sed *cu-  
 mulative* intellectam velint, h. e. quod Deus se propter  
 ea dominio non spoliaverit, sed summum Imperium si-  
 bi reservavit. Habemus sic Monarcham Universalem  
 Adamum. Adamus igitur, sive moribundus, sive adhuc  
 inter vivos (ita sententia, ne manca sit, supplenda erit)  
 haud dubie illud dominium transtulit in liberos, v. c.  
*Caino* bona immobilia donavit; Abel enim, sine proprie-  
 tate rerum mortuus est, quia citra dubium in sacris pa-  
 ternis adhuc fuit, cum periret; hinc de dominio illo par-  
 ticipare non potuit. Reliqui liberi Adami *Sethus* & alii,  
 qui non nominantur, haud dubie bona *mobilia*, nomina  
 activa & passiva, Filia vero *res Geradicas* acceperunt, un-  
 de postea dominium in reliquos homines, & in specie ad  
 Noachum per solenne testamentum, stipulationem A-  
 quilianam, aut alio modo translatus est; quod elegan-  
 ter confirmatur fide attestantis Eusebii in *Chronico*, per  
 sortem Noachum mundum divisisse inter filios. Aut si  
 maior autoritas Epiphanius sol. 564. Noachus testamento  
 orbem divisit inter filios & liberos; de qua re dubitari  
 non posse videtur, cum Cedrenus ipsas tabulas Noachi-  
 cas verbaque ex illis afferat tanta confidentia, ac si ipsius  
 Notarii, vel unius ex septem testibus officio functus fuis-  
 set, addatur, (ut numerus ternarius fabulosissimorum scri-  
 ptorum compleatur.) Athanasius Kirchnerus in *Arca  
 Noe Lib. 3. cap. 9. qu. 11.* En originem antiquitatemque  
 limitum in Adami ac Noachi testamentaria divisione  
 fundatam!



§. IV. Enimvero si talia a Rabbiniſis prolata fuiſſent, tranſirent cum reliquis eorum nugis. Nunc cum ea ſententia de *Dominio Adami univerſali* ejuſque derivatione pro vera, & tantum non contraria Grotii Puffendorffique pro fanaticiſmo infecta infamata fuerit: pluribus inanitaſ hujus dominiſ univerſaliſ oſtendenda eſſet, ni illam Celeberrimi viri Puffendorffius de *J. N. & G. L. 4. c. 4.* & Dn. Thomafius *Juriſpr. Divin. L. 11. cap. 10.* dudum liquido demonſtraſſent. Res vero breviter eo redit. Ante omnia hominum conventa omnium rerum fuit communio, non *poſitiva* quidem, ut plures ſimul eandem rem poſſederint, ſed *negativa*, hoc eſt, res omnes fuiſſe in medio poſitaſ, & non magiſ ad hunc, quam ad illum pertinuiſſe. Conceſſio Dei autem, qua hominibus indulſit uſum rerum terreſtrium, non eſt immediata cauſa dominiſ, prout illud effectum habet in ordine ad alioſ homineſ, ſed omnino præſupponit factum humanum, & pactum aliquod tacitum vel expreſſum. Reddebat enim illa conceſſio homineſ tantum certioreſ de indulgentia Numiniſ adverſuſ ſe, ſed quo modo providendum eſſet, ne ex uſu ejuſ juris diſcordia oriretur inter homineſ, ipſiſ hominibus prævia ſana ratione, ad determinandum fuit relictuſ, prout ſcilicet tranquillitaſ humana exigeret. Unde manifeſtum eſt, communionem primævam negativam ab initio fuiſſe, poſtea autem mundo multiplicato, a communionem rerum negativam diſcedere humani generiſ interfuit, quo diſcordiæ ex communionem primævam oriundæ tollerentur, atque induſtria hominum aleretur, dum proprio quiſque Marte res ſuaſ quærere neceſſum haberet. Atque huc pertinent, utiliterque applicari poſſunt rationeſ, quaſ Ariſtoteleſ *Polit. Lib. 2. c. 2.* adverſuſ communionem Platon-

toni-



tonicam coacervat. add. Exc. Dn. Thomaf. *Jurispr. Divin. all. l. §. 60. sequ.* Cum igitur successu temporis & mundo multiplicato pactis dominia rerum assignarentur, inde etiam terminorum finiumque necessitas simul se exseruit.

§. V. Unde facile porro conjicere licet, fines pro utilitate & necessitate hominum constitutos fuisse. Quis primus autem mundo multiplicato, inter illos fuerit Auctor & inventor finium, definire nil attinet, imo fere impossibile est. Josephus *Antiqu. Judaic. lib. 1. cap. 3.* Caino agrorum determinationes & finium inventum attribuit. conf. Seld. *Mare claus. lib. 1. cap. 4.* Verum qua fide nixus? præter sacrum codicem certi nil scimus de rebus, quæ per multa secula post mundum conditum contigerunt. Profanorum Historicorum nemo Moysen antiquitate antecedit, quin potius Herodotus, Diodorus Siculus, Homerus, qui antiquissimi inter illos perhibentur, longe post Moysen vixerunt. Berosi historix & antiquitates, Annii Viterbiensis Monachi figmentum putidum sunt, quo multos Eruditorum deceptos fuisse, mirandum est. Igitur de hisce rebus certi nihil, extra testimonium S. Scriptururæ afferri potest; quæ vero, cum ad ipsius scopum nil faciatis, tacet de hac re. Interim manet terminorum utilitas & origo eorum cum distinctione dominiorum salva, & sic eatenus Juri Naturali ordinique Divino termini & fines adscribi possunt. Si vero hi fines temere & per fraudes occultasque machinationes mutantur, non potest non confusio inde, turbæ & rixæ oriri. Nam & inter personas arcta consanguinitate junctas lites ob fines turbatos excitari posse, exemplum Abrahami & Lothi, *Genes. XIII. s. sequ.* abunde testatur. Hinc etiam ipsum Numen missimum, horrendum male-

dictio-



ditionis carmen apud Israelitas publice ac unanimiter pronunciarı jussit in violatores terminorum. *Deuteronom. XIX. 14. & XXVII. 17.* idem numen optimum, fines terræ Canaanis, sive Palæstinæ, ipsum indicavit *Numeror. XXXIV. 2. seq.* Olim etiam custodia finium tam sancte custodita fuit, ut Ethnici peculiarem Deum *Terminorum* finibus præfecerint. add. Wissenb. *ad ff. disp. 32.* Numa Pompilius, secundus Rex Romanorum & ingeniosus ostentator Religionis, primus hunc Deum *Terminum* confinxit, & ei fines agrorum dedicavit ac propterea terminos sacros sive inviolabiles esse voluit. Plinius *Histor. Nat. Lib. 18.* Plutarchus in *Numa.* Dionysius Halicarnassæus *Antiquit. Rom. Lib. 2.* Uti vero hodie Christiani longe absunt ab hac gentilium idololatria, ita tamen scitis religionis forsitan non refragatur asserere, cuius Regno & Principatui præpositum esse Angelum tutelarem, ad fines regionum ab omni insultu hostili defendendos: ceu haud obscure illud colligitur ex Danielis *cap. X. 20.* ut & factus Angeli tutelaris Bileamo resistentis, cum & excantandus eum a Balaco Moabita conduceretur. *Numeror. XXII, 5.* Quæ sententia, si alicui fanatica (obnotissimum abusum hujus impurationis hodie grassantem) videatur, ei objicimus Campanellam *lib. de Monarchia bisp. cap. 3.* idem propægnantem, aut si nec hic satis orthodoxus in hoc puncto videatur, in promptu sunt Caknannus in *Angelogr. p. 1. cap. 7.* Kipping. *Instit. polit. l. 1. c. 3. n. 9.* ut nil dicam de Befoldo *Synops. polit. Præcogn. n. 62.*

§. VI. Placet autem nunc fines in genere (ut potestea facillimo negotio applicatio ad Provinciales limites fieri possit) describere, per extremitates locorum situ inter se connexorum alias, ut suum cuique demonstretur, &





& lites ac bella tollantur, varie proinde fines orbis terrarum possunt delineari. In Geographicis notæ sunt IV. illæ Partes Orbis præ aliis celebres, quas, quia cognitæ sunt omnibus, hic præterimus, cum ut alios taceam, fines Europæ, Africa, Asiæ, America, accurate delineet Celeberr. Dn. Becman. *in Histor. Orb. terr. Geogr. & Civil. P. 1. c. 4.* Interim illud annotare haud præter rem erit, quod nonnullis Regnis & Provinciis quasi naturæ limites & terminos posuisse videatur. Nam videmus, hanc terrarum partem perpetuis montium jugis inclusam, aliam continuis sylvarum sepibus cinctam, nonnullæ quasi in mari projectæ regiones, ejusdem fluctibus ambiuntur undique. Sic Galliam ab Hispania separant montes Pyrenæi, ab Italia Alpes, ab Anglia Mare Britannicum. Anglia quasi separatam Orbem mari circumdatum representat. Conf. Dn. Becm. *Histor. Orb. terr. Geogr. & Civil. sect. 1. c. 6.* Unde forsân ansam arripuit Grotius *de F. B. & P. L. 2. c. 3. §. 16.* distinguendi limites in *divisos ac signatos*, seu limitatos, qui manu facti sunt, signisque constant, & *arcifinios*, quos & *naturales* vocat, ut flumina & montes. Verum cave hoc ita accipias, quasi darentur vere naturales limites, cum supra arbitrio Gentium hoc adscripserimus, & sic facto humano, non natura consent; sed limites naturales vocantur materialiter, quatenus talia flumina, montes &c. tanquam naturæ opera pro limitibus a populis fuerint assumta. Atque hoc sensu limites in *artificiales* & *naturales* dividi possunt, ut illi sint, qui ab homine per artificia sunt compositi ad designationem finium, v. c. lapides, fossæ aut alia signa erecta, naturales autem limites, quos natura ipsa suppeditat, ut montes, colles, valles, saxa, arbores, viæ regales, fontes, rivi &c.

§. VII. Cum itaque alio sensu naturales termini



& limites non dentur, multo minus asserere ausim, ac si clarum esset, Deum *fatalis quosdam terminos posuisse* magnis Imperiis, ultra quos illa se protendere nec possint, nec debeant. Huc referunt, quod Assyriorum & Persarum potentia *Hellespontum* transgredi non potuerit, sed toties cladem acceperit, quoties fines Monarchiæ ultra *Hellespontum* extendere voluerint, quod Darii exemplo comprobant. vid. Polybius *lib. 1. Histor.* Romanorum fortuna & florentissimus armorum cursus decrementum passus est, quoties ultra *Euphratem* prolata sunt, confirmante id Crassi exemplo, vid. Richt *Axiom. Polit. 37.* qui & dictum Apostoli *Actor. XVII, 26.* huc accommodat. Conf. *integra Disp. sub Præs. Alberri de fatalibus terminis Regnorum.* Verum uti testimonium Pauli numerum auget dictorum S. Scripturæ in alienum sensum raptorum; neque ex allegatis exemplis hoc probari potest. Multæ enim rationes Politicæ subsunt, quas nobis suppeditant historici veteres, cur Persæ sub Dario *Hellespontem* transeuntes, & Romani sub Crasso *Euphratem* superantes, infelices fuerint, quas rationes cum non perceperint, & tamen solitam armorum felicitatem, quæ gentes hæc usi sunt, sibi in memoriam revocarent, in opinionem fatalitatis, ignorantia filiam, delapsi sunt. Quod de Richtero non mirum est, quippe qui in *Axiomatibus Politicis* multa vulgaria, vix adpersa iudicii mica, uti ejusmodi locorum communium compilatoribus moris, affert, cujus specimen etiam est hoc *Axioma de fatalibus Regnorum finibus*, qui plura desiderat scire de hac re, adeat Augustinum *de Civitate Dei L. 5. cap. 8.* Bœcler *ad cap. 1. Lib. 1. Annal. Taciti.*

§. VIII. Amplior autem inquisitio, si intueamur & Politicè consideremus fines Regnorum & Monarchiarum,



arum, quatenus scilicet olim latissimi fuerint, at postea decrementum passi sunt, & potentia, quæ antea longe lateque se extendebat, parvis cancellis demum inclusa aut plane deleta est. Crudelitas, luxus, ambitio illorum, qui ad clavum Reipubl. sedebant, tanquam causa & origo hujus mutationis finium, in vulgaribus politicorum libellis passim assignantur. Verum magis ac rem tetigisse vid. Dn. a Puf. *introd. ad Histor. Statuum Europæ Cap. I.* derivando ruinam florentissimorum Regnorum Medici, Persici, Assyriaci, non ab hisce vitiis, quippe omnibus regnantibus eo tempore communibus, ut adeo citius ipsis pereundum fuisset, si istis causa assignari deberet, sed a neglectu regularum politicarum, quibus quævis Monarchia innitebatur. Insigne specimen exhibet, cum quo Monarchia Persica extincta, Darius Codomanus. Erat hic Princeps Alexandro M. viribus & apparatu belli longe quidem superior, sed dum artes belli hostique resistendi ignorabat, apertoque Marte omnia gerebat, quem moras trahendo & bellum procrastinando, angustias viarum bene muniendo plane extinguere potuisset, hunc ut victorem postea colere cogebatur. *Grecorum* Monarchia uti subito cum Alexandro M. creverat, & potentia simbrias ad fines Indiæ usque extenderat, ita non multo post, ob divisionem inter Duces Alexandri, corruit. Confluxerunt quidem pleræque provinciæ in Rempublicam *Romanam*, quæ tempore *Triumviratus* in summum potestatis fastigium evecta, finibus per Asiam, Africam, Europam extensis, jam mole sua laborare incipiebat, & perstitit illa per tot secula non prudentia & fortitudine, sed quod nemo vicinorum satis promptus esset ad illam subruendam. Parthi non audebant, forsitan & nolebant, nec enim unquam molli-



tia Asiaticorum, cum Europæorum ferocia bellica comparari potuit. Germani eo tempore ruinam Romanorum haud dubie procurassent; siquidem sub Arminio aut parisi fortitudinis Duce, in formam iusti Regni coalescissent. Perstitit igitur Monarchia Romana usque ad Constantinum M. Magnum huic momentum ad ejus ruinam non inepte adscribit Zosimus ob inconsultam translationem sedis Imperatoriae versus Constantinopolim. Tali enim ratione fortissimæ copiae a ripis Rheni Danubii que una remotæ, exponebant Occidentales provincias barbararum gentium incursionibus. add. Monzambano *de Statu Imper. cap. 1. §. 10.* Pacific. a Lapide *ad h. l. Monzamb. Disc. 6. §. 4. pag. 161. sequ.* Quæ veræ videntur causæ politicæ mutatorum limitum veterum regnorum.

§. IX. Reliquiæ ceterum tam potentis & maximam partem orbis olim complexæ Monarchiæ, tandem sub veteri nomine, *Francis* cesserunt, unde successu temporis ad Ottonem M. & successores Reges Germanicos, pervenit æterno pacto cum S. P. Q. Romano & Pontifice inito, de quo pluribus actum est a Præsidi in *Jurispr. Publica Dissert. III.* Nimis spatiosum vero ingrederemur campum, si recensere animus esset facta illa, quæ Germania habuit ratione finium, quippe qui eo tempore latiores, hodie vero sat angustiis spatiis intuitu veterum, sunt inclusi. Enim vero, qui fuerint fines Imperii Romano-Germanici, eleganti opere complexus est Hermannus Conringius, Historicus Germaniæ incomparabilis. Qui liber, uti ad justas Germaniæ prætensionem formandas & dijudicandas lectu dignus est; ita nunc illum sequestramus, statum hodiernum Imperii ratione finium potius perustraturi.



§. X. Vastum nimirum illud corpus, quod Imperium Romano-Germanicum salutare, quamvis non historice & accurate, ex usu & stylo publico tamen, possumus, prout nunc ejus fines se habent, in X. Circulos, Germanice *Creyse* dictos (vel ut Grotius loqui magis latine amat X. *Pagor*) dispefcitur. Autor hujus divisionis Maximilianus I. quo incommoda, quibus laborabat Germania, potissimum a tempore famosi illius interregni post Friderici II obitum, eo felicius proscriberentur. Eventus docuit etiam, sat prudens fuisse consilium Maximiliani I. Inde enim paci publicæ, & legum autoritari, sine qua nullum Regnum salvum esse potest, pro tanta laxitate communis vinculi, aliquantisper hac divisione fuit consultum, Duci cujusque Circuli justitiæ executione (quæ antea plane cessabat) demandata. Conf. *Erklärung des Land-Friedens zu Nürnberg, 1522.* Præterea, licet hac Circulorum institutione, ad limites Imperii proferendos aut avulsa inde recuperanda spes vix supersit; tamen ad eos fines, qui supersunt defendendos inservire, quotidiana loquitur experientia. Conf. *Dissert. Illustr. Dn. Strykii de Militiâ Circul. c. 2. Strauch. Dissert. Exofer. I. th. 4.* Quæ vero Provinciae & territoria ad quemlibet Circulum pertineant, integro opere recenset Zieglerus *Von denen X. Creysen des Heil. Römischen Reichs, & Publicistæ communiter.*

§. XI. Neque tamen tota Germania, quam late patet, ac fines suos Imperium nostrum extendit, Circulis est inclusa. Nam porrigit Germania suos fines latius, tum multæ Provinciae Juris & subjectionis Germanicæ sunt, quæ tamen ad nullum Circulum pertinent. Regnum Bohemicum Feudum Imperii est, & ejus Rex simul Elector Imperii audit. vid. *A. B. tit. 8. 9.* Constitut.



Caroli IV. apud Goldastum *Tom. I. Constit. Imperial. f. 342.* Conring. *de finibus Imp. c. 29.* Schüz. *Colleg. Jur. Publ. Disp. 7. th. 22. Lit. E.* Rumelinus *ad A. B. P. 2. Diff. 2. th. 4.* Goldastus *de Regno Bobemæ lib. 3. c. 14. per totum.* Henelius *in Breslographia cap. V.* Befoldus *de Statu Reipubl. Subaltern. c. 7. n. 10.* Lehmanni *Chron. Spir. lib. 5. c. 74.* P. Heigius *P. I. qu. 3. n. 45.* Nihilominus Bohemia nullo Circulo Imperii comprehenditur. Nam sententia Goldasti *de Regn. Bob. lib. 1. c. 2. n. 5. & lib. 4. c. 8.* quod Bohemia Undecimum Circulum Imperii constituat, fundamento destituitur, hinc recte rejicitur illius opinio ab Arumæo *de Comitibus cap. 2. n. 41.* Carpozio *de L. Regia cap. 5. sect. 8.* Sic etiam Comitatus, hodie Principatus Montispelicardicus vel Mompelgardensis, intæu cujus Duces Württembergici votum & sessionem in Comitibus habent, nulli Circulo includitur. vid. Dn. Sueder. *Jur. Publ. part. General. cap. IV. §. 4.* ut nihil dicam de Borussia, quæ nunquam circulo inclusa fuit. conf. Dn. Præf. *Jurispr. Publ. Diff. XI.*

§. XII Quilibet horum Circularum finibus suis accurate circumscriptus est, ne inde impedimenta executionum Cameralium & alia oriantur. Experientia enim testata est, semper cum magnis motibus Germaniæ conjunctum fuisse, molitiones nonnullorum contra coarctationes vel transgressiones finium, indeque dependentium jurium. Sic non inter minimas causas belli Tricennarii fuit, quod executio Urbis *Donawerdiæ*, in Bannum declarata, Duci Baviariæ committeretur, cum tamen finibus Circuli Suevici illa urbs Imperialis comprehenderetur, hincque executio Decreti Bannalis Duci Circuli Suevici committenda fuisset. Acerbas querelas ob hanc confusionem finium & jurium instituit Au-

COR



tor Informationis causa Donawerdica; qui quisquis sit, apparet ex ejus libro, illum præ multis aliis illius temporis Jurium publicorum peritissimum fuisse; & scientiam Legum privatarum a publicis bene distinguere valuisse, qui tamen communis eo tempore & satis crassus nævus scriptorum Juris Publici erat.

§. XIII. Caterum a tempore Maximiliani I. utpote Autoris horum finium & Circulorum, Germania multas mutationes passa est, & interdum fines horum Circulorum coarctati sunt. Sic ad Circulum Rhenanum pertinuit Metis, Tulum & Virodunum Episcopatus, quas nunc una cum Landgraviatu Alsatiæ & Sundgovia Gallus tenet per Instrumentum Pacis Westphalicum, cui insuper Argentoratum, propugnaculum Germaniæ cessum novissima Pace Ryswicensi. Ad Westphalicum Circulum Episcopatus Ultrajectinus pertinuit, dudum a Belgis Foederatis avulsus. Circulus Burgundicus comprehendens septendecim Provincias Belgii cum Burgundiæ Comitatu, antea fines Germaniæ late porrigebat. Verum quam illi hodie coarctati sint a Gallo & foederatis Belgis, notissimum est. Ad Circulum Saxoniam inferioris antea Dantiscum & Elbinga spectarunt. vid. Goldasti *Politische Reichs Handel*, p. 157. Ast hodie jura Imperii in illa expirasse, multa indicant. An vero versus Galliam fines Imperii mutationem, & eam quidem in melius experientur, finis præsentis belli, in quo hæstenus Imperio propitiorum fatorum spes affulsit, declarabit.

§. XIV. Interim illis Provinciis, quibus hodie componitur S. Rom. Imperii Corpus, illa accurata finium & Circulorum conservatio tranquillitatem qualemcunque & salutem, largitur. Neque enim est dubium, in cor-  
pore



pore Imperii ob dissoluta membra & autoritatem Imperii vacillantem, omnia in pejus ruitura fuisse, ni ab ipsa divisione Germaniæ, hoc est, distinctis Circulorum finibus remedium huic malo quæsitum fuisset. Nihilominus non omnia obstacula hacce institutione Circulorum removeri potuerunt, ut non semina multarum litem & controversiarum de finibus inter Status remanserint. Hinc in Judiciis Germaniæ, & non solum inter privatos, sed etiam Illustres & Principes, nullæ frequentiores controversiæ, quam de finibus antiquis, hucusque turbatis vel interversis & hinc denuo regendis. Inde enim non solum Processus nascuntur varii, sed etiam sæpius bella funestissima. Confer. Illustr. Dn. Strykii *Diss. de Judiciis Divisor. §. 1.*

§. XV. Multis vero litibus, quæ circa fines regundos oriri solent, ansa præcindi posse videtur, si variæ finium divisiones bene considerentur, tum & signa, quibus distingui moris est, accurate a se invicem secernantur. Signa enim hæc finalia, vel distinguunt limites Provinciarum & Territoriorum, vel prædia privatorum; sive brevius: designant limites vel *publicos* vel *privatos*. De posterioribus hisce disquirere ab instituto alienum esset, nisi quatenus inde illustratio limitibus provincialibus sive publicis accedat. Ad publica vero signa, quibus una Provincia ab altera secernitur, requiritur, ut sint extantiora, hinc solent esse vel viæ regales, flumina, montes, valles, lapidesque prægrandes. Conf. Bald. *vol. 1. Conf. 426.* Exemplum solennium limitum terræ Canaanis sive Palæstinae hoc modo constitutorum exhibet Caput *Num. XXXIV. 2. seq.* Quamvis igitur varia sint insignia, quibus limites Præfecturarum, *Ambt. Gränzen*: limites Venationum, *Jagt. Gränzen*: limites agrorum, *Feld oder Fluß. Gränzen*:



hen: limites sylvarum, Forst-Gränzen: Jurisdictionis, Gerichts-Gränzen: limites villarum & domuum, Haus- oder Hoff-Gränzen: limites villarum & domuum, tamen in praesenti praeter alia signa illa excutere animus est, quibus limites Territoriorum a confini territorio separantur & distinguuntur.

§. XVI. Equidem si antiquum Germaniae Statum tempore Reipublicae Romanae intueamur, citra dubium limites vicorum & villarum omnium primi & antiquissimi sunt, quippe ex prima dominiorum distinctione, mundo multiplicato, proxime orti. Nam ab initio non mox summa Imperia aut territoria extitisse, sed penes patres familiarum potestatem fuisse, qui ut plurimum certam partem agrorum colebant, eleganter adstruit Dn. Pufendorf. *Introd. ad Hist. c. 1. §. 1.* Hic Status, uti libertati Naturali proximus, ita etiam in specie per multa secula gentibus versus Septentrionem habitantibus, & naturalis libertatis, praeter orientalibus populis, tenacioribus multum, & sic etiam Germanis placuit. De hisce enim Tacitus in *Libello de moribus ipsorum cap. 16.* testatur, quod nullae Germanorum populis urbes inhabitatae sint, nec passos quidem junctas sedes, suam quemque domum spatio circumdixisse, sive adversus casus ignis remedium, sive inscitia aedificandi, sive potius innatae libertatis ductu, (quae ultima maxime svasoria causa fuit, cum mediam vilipenderent a luxu Romanorum abhorrentes. vid. eruditum Schediasma Dn. D. Zierholdi, quod *Barbari magis morati fuerint, quam gentes literis imbutae.*) ne confinio quis alterius libertatem violet. add. Lehmanni *Chron. Spir. Lib. 1. c. 5.* Conring eleg. *tract. de Veterum Germanorum Corporum habitu.* Ufu vero temporis accessere his limites Provinciales. Serius autem in Germania venationibus ac forestis



## 18 CAP. I. DE ORIGINE ET NATURA

terminos positos fuisse, putat Dn. Fritschius *de Distr. Agror. c. 2. §. 3.*

§. XVII. Ceterum signa, quibus hodie Territoriorum fines a confini Territorio & aliis finibus modo memoratis separentur, non unius sunt notæ ac figuræ. Huc pertinent (1) *Arbores finales*, Grånß Bäume. Hæc ut a vulgaribus distinguantur, plerumque solent signari, vel foraminibus incisus, vel alio caractere. vid. Oettinger *de finibus c. 18. n. 13.* Befeld. *Thesaur. Pract. voc. Mareß Rütger Ruland. de Commisf. P. 2. L. 6. c. 3. n. 5.* (2) Crucifixæ, quæ fidei Christianæ signa vocantur in *L. n. C. de Judæis*, solent etiam finibus distinguendis non raro adhiberi. Ubi scilicet columnis lapideis crucis signum inculpitur, quale exemplum occurrit in confinio Ducatus Magdeburgici & Episcopatus Merseburgensis, vid. Diss. Dn. Strykii *de Jud. Divis. c. 5. n. 6.* (3) Flumina sæpius etiam finibus Territoriorum designandis adhibentur, cum territoria non melius, quam per flumina distinguantur. Hieronym. de Monte Brixiano *Tract. de finibus regund. c. 15. n. 7.* Dn. Strykius *all. Diss. n. 11.*, ubi simul monet, probe ex instrumentis aliisque documentis inquirendum esse: *Ob die Grånß he biß an den Fluß, oder biß in den Fluß gehe?* Priori casu excluditur alter usu fluminis; posteriori autem casu flumen commune est, ex quo insimul de proprietate fluminis dijudicandum est. In dubio autem flumen inter duos confines, si limites alterius ad ripam adstricti non sint, commune censetur, de qua inferius differendi occasio erit, interim confer. Oetting. *de finib. & juribus Limit. L. 1. c. 18. n. 24.* Speidel *in Spec. Jurid. Polit. voc. Grånß.* (4) Grånß Säulen, quæ hodie frequentissime in dirigendis finibus adhibentur, qualia signa in Ducatus hujus Magdeburgici confiniis passim conspiciuntur, & plerumque insignibus illius Principis, ad quem Territorium pertinet, ornantur.



ornantur. Hinc si columna illa in ipso confinio posita sit, utriusque confinantis Domini insignia in diversis lateribus pingi solent. Insignia enim in limitibus posita, Jurisdictionem arguunt illius, cujus sunt insignia. Theodor. Hoeping. *de Jure Insign.* cap. 33. n. 108. Ruland. *de Commiss.* P. 2. L. 6. e. 3. n. 27. (5) Land-Graben territoria etiam parant. Wehner *observat. Pract. voc. Land-Wehr.* Meischner. *tit. 3. Dec. 33. n. 61.* vocantur etiam Hager. Oetting. l. c. c. 17. n. 25. & cap. 218. n. 18. (6) Land-Steine, quae itidem ad distinguenda Territoria constituuntur. vid. Ruland. l. c. 3. n. 17. dicuntur etiam Land-Granz-Steine, vid. Speidel. *in Spec. voc. Grangen.* (7) Land-Strassen etiam saepius pro terminis Territoriorum usurpantur. Oetting. & Speid. l. c. denique (8) collis, aufgeworfene Hauffen Erde, finibus territoriorum discernendis adhiberi commode possunt. Placuit hic modus nuperrime Polonis & Turcis circa limites constituendos, de quo Novella Lipsiensis sequentia d. d. 8. Octobr. hujus anni retulerunt. Seit lehthin glucklich geschlossener Granzscheidung fahret man nunmehr fort, und zwar Wir (Polen) disseite, die Turcken aber jenseits des kleinen Flusses Gahorlin die Granzsteine und Hauffen aufzuwachten. Den 28. haben die Turcken den ersten Hauffen Erde aufgeworffen, und auf derselben einen flachen Stein geleyet, in welchem die Nahmen der beyderseits Committarien eingegraben gewesen, &c.

§. XVIII. RELIQUA insignia non sunt propria designandis finibus Territorii, sed etiam aliis limitibus. Hoc sensu occurrunt Bann-Steine, qui sunt lapides, quibus discernuntur limites Jurisdictionis. Ruland. *de Commiss.* P. 2. L. 6. c. 1. n. 7. Hos male con fundi mit denen Land- oder Granz-Fluhs-Steinen, observat Dn. Fritschius *Tract. de Districtu Agror.* c. 8. n. 1. hi enim Territoria separant, & inde quidem pariter Jurisdictionis terminos ostendant,

C 2

non



## 20 CAP. II. DE PROBATIONE ET CUSTODIA

non tamen sunt unum idemque. Potest enim ad Unum territorium, ad alterum Jurisdictio pertinere, quali casu distincti termini finales adhibendi forent, hinc illos lapides bannarios, *Bann-Steine*, commodius *Gerichts-Steine* vocari, monet *Fritsch. l. c. (2) Fluß-Steine*, districtam civitatis vel pagi, non vero provinciae indigitant. Dicuntur alias *Mahl-Steine*, vel *Markt-Steine*, *Wehner. Observat. Pract. voc. Grätz, Ruland. de Commiss. P. 2. L. 6. c. 3. n. 8. & 21. (3) Forst-Steine*, quibus limites, non Territorii, sed Jurisdictionis Forestalis discernuntur. *Oetting. de Limit. c. 17. n. 33.* Non enim semper connexum est cum Jure Forestali, jus venandi, hinc diversis limitibus quandoque opus habent. (4) *Rivi, seu Bäche*, aquae salientes pro signis terminalibus, tam Jurisdictionis, quam Territorii vel etiam privati patrimonii reputantur. *Cravett. Consil. 882. n. 4. Oetting. cap. 18. n. 24. Dn. Stryk. all. Diss.*

§. XIX. Apparet autem exinde clarissime, designationes finium non uno eodemque modo fieri, sed pro lubitu constituentes hisce uti posse. Quomodo vero pro illi fines Provinciales probentur & custodiantur, Cap. II. nunc inquirere animus est.

## CAP. II.

DE

## PROBATIONE ET CUSTODIA LIMITUM PROVINCIALIUM.

SUMMARIUM.

**O**rdinatio finium arbitrii humani, *Hieron. de Monte hic notatur. §. 1.*  
*Veterum ICrorum cospitatio, fines mundi ab Imperatore dividendos esse. §. 2.*  
*Quid Territorium, Provincia apud ICros & Jure Canon. §. 3. Descrip.*



LIMITUM PROVINCIALIUM. 21

- Descriptio Civitatis, Ditionis, Provinciae ex Politica, & inde  
fines Provinciales. §. 4.*  
*Fines Provinciales controversi quando sint. §. 5.*  
*Regula de Naturalibus finibus. §. 6.*  
*Signa, limites naturales quando probent. §. 7.*  
*Fines Provinciales etiam oculari inspectione probantur. §. 8.*  
*In probatione & Constitutione Limitum Provincialium offi-  
cium agrimensorum §. 9. Confectio Ichnographiae. ibid.*  
*Instrumenta & Documenta probant fines publicos. §. 9. 10.*  
*Exempla literarum fines Provinciales probantium remisive.  
§. 11. 12.*  
*Talia Instrumenta super finibus publicis vocantur Bezirck-  
Brieffe, differentia ejus a Glubr: Buch §. 13.*  
*Probatio Limitum Provincialium per testes. §. 14.*  
*Quidsi testes sint subditi, item vicini §. 15.*  
*An testes de auditu & fama etiam probent fines publicos. §.  
16. affirmativa asseritur. ibid.*  
*Custodia finium a Politica suadetur. §. 17.*  
*Fines Imperii Romani sub Augusto, & quare hic terminos  
Imperii ampliare prohibuerit. ibid.*  
*Limitanei milites, Liminarchi & Limitropi fundi quid a-  
pud Romanos fuerint. §. 18.*  
*Regula Politica Forsteneri circa custodiam Limitum. §. 19.*  
*Majorum cura in custodia Limitum ex Marchionum institu-  
tione patet. §. 20.*  
*Recensio specialis Marchionatum, contra hostes Imperii insti-  
tutorum & hodiernorum Marchionum in specie Bran-  
denb. florens potentia. §. 21.*  
*Deliberatio in Comitibus de Ordine Equestri instituendo ad de-  
fendendos fines Imperii. §. 22.*  
*Custodia Civitatum in Limitibus Provinciae der Frontier-  
Städte. §. 23.*  
*idem Jure Codicis Burgorum custodia intelligebatur. §. 23.  
Provin-*



22 CAP. II. PROBATIONE ET CUSTODIA

*Provinciarum specialium fines quomodo custodiendi ex Oetringero. §. 24. & 25.*

§. I.

Capite superiore pluribus expositum est, divisiones finium Territorialium esse Juris Naturalis & Gentium ob communem tranquillitatem, quæ conservari haud posset, nisi per hos constaret, quousque Imperium & Jurisdictio semet extendere deberet. Prout igitur inter confinantes Gentes limites placuerunt & constituti sunt, eatenus illi regulam ac normam constituunt, ut Jurisdictiones hos limites non transcendant, cum extra Territorium jus dicenti impune non pareatur. Hinc statim in limine hic impingit graviter Hieronymus de Monte *Tr. de finib. regund. cap. 2. in fin.*, quando existimat, terminorum publicorum affixionem, ut loquitur, esse de Reservatis Papæ & Imperatoris in signum Universalis Domini, quia *ad eos solos spectet dividere totum orbem.* Scilicet nititur inepta illa sententia, quæ rudi seculo communis fuit ICTis, Imperatorum esse Dominum mundi, si non actu, tamen jure sive proprietate; Papæ per donationem Constantini M. Imperium in orbem acquisitum esse in spiritualibus & temporalibus. Conf. Sutholt *ad h. litur. Diff. 6. Coroll. 2.* Verum quem non pudet hodie putidiorum horum assertorum? Cachinnis porro non refutatione digna sunt commenta ejusdem Hieronymi de Monte *cit. Lib. c. n. n. 4. Jurisdictio a Papa vel Imperatore dependet, & n. 5. Jurisdictio Papæ originaliter inest, & ejus exercitium temporalis Jurisdictionis est in Imperatore, isti autem sunt duo luminaria magna cap. solita de major. & obed. & quia non possunt singulorum causis interesse, L. Præcipimus C. de appellat. ideo per diversa territoria orbem diviserunt, sic ut bonus paterfam. dividit fundum suum in plures*



plures Agricolas facilioris cultura gratia. *L. Cajus ff. de Leg. ii.* Non multum autem Hieronymo nostro Sapientior Auctor Glosæ: *Imperator est Dominus trium mundi partium: Asiæ, L. fin. C. de temp. appell.* Africa. *tit. C. de offic. Præfetti. Prætor. Afric. & Europæ, ideo triplicem accipit Coronam, ideo Pomum Imperiale præfert. &c.* Hos & similes legulisticæ Sapientiæ flosculos passim deprehendas apud veteres Ictos, qui simplicitati Seculi, in quo vixerunt, & superstitioni Religionis, qua imbuti fuerunt, condonandi sunt.

§. II. Apparet autem simul, ex hisce autoribus parum sapidi posse hauriri circa controversias limitum territorialium, hodie inter Principes nostros occurrentium. Igitur ne paris confusionis cum his *Aboriginibus & Faunis*, uti appellat hæc Jure consultos vel quasi Gothofredus in *Præfat. Corp. Jur. rei* fiamus, in probatione finium Provincialium, inquirendum prius erit, quid sit Provincia, quomodo ab aliis terris & fundis distinguatur, tunc enim de probatione finium eo clarius calculus ferri poterit. Nisi enim accurate constet de differentia Provinciæ, Ditionis, Dioceseos & similium, frustra disceptatio de limitibus Provincialibus instituitur.

§. III. Enim vero, si unice de Territorii, Provinciæ & Ditionum definitione vellemus Ictos mediæ ævi, vererer, ne oleum & operam perderem. Non enim citra insignem, solitam tamen iis confusionem, hæc ab iis tradi solent, cum rudes fuerint ac ignari omnium Politices, subsidiorum Historiæ & humaniorum literarum. Jam laudatus Hieron. de Monte *all. iv. c. 4. n. 5.* Provinciam dici putat illum tractum terræ, qui *decem aut undecim* habet civitates sub se & unum Metropolitanum. Hæc forsitan incomparabilem Provinciæ definitionem ex *C. Scirore 2. caus. 6. qu. 3.* Ubi Pelagius II. Papæ isdem verbis



## 24 CAP. II. DE PROBATIONE ET CUSTODIA

verbis civitatem describit. Verum hæc descriptio Provincia Monachalem Politicam sapit, h. e. nugivendulam & cum natura & indole negotiorum humanorum raro convenientem. Aequè conveniens est appellatio, quando Provincia pro *Diaeesi* sumitur. Talis sensus occurrit in *C. Quicumque 4. caus. 16. qu. 3.* Perperam etiam Provinciarum divisionem a diverso idiomate accersit Hieron. de Monte *l. c.* Nam plures Provinciae, sive territoria inter se diversa, eadem lingua eodemque idiomate possunt uti.

§. IV. Meliores definitiones & descriptiones civitatis, Ditionis, Provinciae suppeditat Casarinus Furstnerius in *Tr. de Suprematu & Jur. Legat. Princip. Imp. cap. 10. Civitas* (nimirum sumpto vocabulo politice, quatenus contradistinguitur urbi) est coetus hominum satis magnus, ad spem defensionis mutuae contra vim magnam, qualis metui solet, animo cohabitandi, certa quadam rerum communium administratione constituta, initus. Differt itaque a numerosioribus familiis, v. c. olim Patriarcharum in tentoriis, & hodie Arabum, multis clientum & servorum familiis circumdatorum, & vicis sive pagis ex aliquot familiis compositis, quia omnibus hisce deest magnitudo; Exercitibus vel magnae cuiusdam societatis casu conflatae, quales sunt Societates Religiosae, quas vocant, peregrinantium versus Jubilaeum *Milgrims* vel *Caravanas* in itineribus Asiaticis, versus *Medinam* & *Meccam*. Illi quidem coetum satis magnum constituunt, sed deest animus cohabitandi. *Ditio* est quidam terrae habitatae tractus communi quadam administratione utens. Major ditio *Regio* vocatur, & Regio cum alterius ditionis adhuc majoris pars est, Provincia appellatur.

§. V. Quando itaque controversiae de limitibus istiusmodi Provinciae cum vicinis & aliis oriuntur, prima cura solet impendi, quomodo illi fines probentur. Equidem



dem si illa signa clara adsint, quæ adduximus in fine superioris Capituli, tunc res non multa indigere videtur disceptatione. Verum sapius quidem signa adsunt, dubium tamen est, an fines Provinciæ illis discreti fuerint, an non? Hoc casu ad *finium regundorum Judicium* recurrendum est. Circa hoc autem varia consideranda sunt. *Capite 1. §. 6.* Distinximus fines eorumque signa in *naturalia & artificialia*. Utriusque probatio suis non carere difficultatibus, uti mox apparebit, si ad specialia applicatio fiat.

§. VI. De naturalibus signis finium vero ut initium faciamus Dd. hanc regulam ponunt: *Naturales non aliter probant, nisi quatenus pro limitibus fuisse receptos probetur, tunc enim per eos termini Distinctum, Territoriorum, Provinciarum probantur.* vid. illustr. Dn. Strykii. *Disser. de probat. Pertinent. cap. 11. §. 73.* Ast omissa hac regula, quæ omnino fundamento non caret, quid dicendum sit de Aymone Cravetta, qui *Conf. 949. n. 6.* summopere contendit, quod in dubio magis attendi debeant termini, qui sunt secundum naturam, v. c. montes, flumina, colles, valles, rivi, quam illi, qui sunt secundum artem, v. c. lapides, fossæ. *Conf. Cardin. Tusch. Pract. Concl. tom. 2. lit. C. Concl. 700. n. 13.* Quæ mecum perpendens, nullus dubito asserere, certis casibus majorem prædantem pro signis limitum *naturalibus* esse, quam allis *ex arte perfectis*. Ponamus litem esse inter duo confinia territoria de limitibus, & in loco quæstionis montes, colles, fluvios, vel rivos, in alio vero loco lapides, vel arbores, deprehendi. Certe hoc casu pro majoribus signis major verisimilitudo. Lapides enim, si aliis signis destituantur, tum & arbores nudæ fortuito ibi succrescere poterunt. *Conf. etiam Dn. Stryk. in Respons. in causa Molln.*



p. 14. sequ. Id magis probabile est, cum fines constituti fuerint, super quibus nunc ob memoriam eorum deperditam disceptatur; tunc ejusmodi naturas, quales sunt montes, fluvii, quos æternos vocat Sfortia Oddus. *Conf. 21. n. 3.* potius placuisse illis.

§. VII. Imprimis vero, si deprehendantur signa artificialia, quibus limites loci designari queunt, circumspiciendum est; an *limitibus dubiis adscribenda sint talia signa, nec ne?* Non raro enim talia signa v. g. lapides, arbores vel fossæ deprehenduntur, quæ ibi natæ, vel alia intentione ac fine formata. De hoc igitur ut constet, in *arboribus* circumspiciendum est, an signa quædam antiquitus illis incisa appareant, v. c. quod perforatae sint, frondium amputatio ex industria facta. *Lapides* vero, si non illic nati, sed reconditi appareant, elevari solent, quo perspicitur, an non, vel *carbones*, vel *fragmenta vitri* supposita deprehendantur, quippe quæ ordinarium præbent indicium, lapidem illum finalem esse. Olim etiam aut alterius materiae durabilis in humo certa quantitas Siculo Flacco p. 5. teste, *Cineres, testæ, ossa subcensa, calx viva, gypsum*, & aliæ durantes materiae substratae sunt lapidibus. Præterea hoc quoque observari moris est; an non ille lapis insignis magnitudinis *minoribus cinctus sit*, aut secum habeat, tunc enim hi indicium præbent, non fortuito hunc lapidem hic inveniri, sed fines ibi constitutos esse. Germanice hoc efferunt, *der Stein mußte Eyer haben.* vid. Rutger Ruland. *de Commiss. P. 2. L. 6. c. 11. n. 1.* denn wenn die Steine keine Zeugen oder Eyer haben, seyn sie ohnkraftig und ungültig, es sey denn, das sie von Alters her vor bekantliche Marken allezeit weren gehalten worden. *Detting. de Jur. Limit. c. 17. n. 9.* Scilicet quando dubitatur, an hic lapis terminalis sit, vel non? Alias non præcise



cise hi testes, vel minores lapides prægrandem cingere debent, modo constet aliunde & verificari possit, lapidem illum ad discernendos limites positum esse. Flaccus c. l.

§. VIII. Præterea ut fines territoriales eo clarius innotescant, oculari inspectioni multum hic tribuendum est. Lud. Gilhaus. in *Arbor. Judic. Civit. P. 2. c. 6. art. 2.*  
 §. 7. Uti enim ocularis visitatio & inspectio inter optimos modos probandi refertur, ita in primis in controversiis limitum necessaria est. Conf. Dn. Stryk. *Introd. ad Prax. For. c. 17.* Nam per ea facile diversitas Territoriorum cognosci, & sic, pro quo calculus ponendus sit, apparet. Hier. de Monte Brixian. c. 30. n. 2. Quoties igitur ex oculari inspectione resultat certitudo finium Provincialium, toties nulla alia probatione indiget. Hinc & nil frequentius, quam Commissariorum Deputatione in hisce Controversiis. Oetting. de *Jur. Limit. L. 2. c. 6.* Pars tamen utraque interesse hic debet *L. de uno quoque 37. ff. de Re jud.* hinc citatio legitima præcedere debet, quo partes statim compareant. Covarruv. *L. 2. var. resol. c. n. 5.* Alias si Judex per sententiam talem ocularem inspectionem approbet, sine unius partis scitu factam, appellari potest. Mev. p. 5. Dec. 226. Dn. Stryk. de *Jur. Sens. Disf. 1. cap. 2. §. 10.*

§. IX. Quod si igitur probatio & demonstratio finium Provincialium vel curam Austregis; vel alio modo ventiletur, & oculari inspectioni vel commissioni subji-  
 ciatur, tunc limitibus publicis designandis præter partis utriusque de hac relitigantis, aut eorum Deputatorum præsentiam, *Agrimenses* periti, qui Germanice *Feld-  
 Meßer* appellantur, evocandi sunt. Cum hisce autem perperam communiter confundi illos, qui *Untergänger* vo-  
 cantur,



## 28 CAP. II. DE PROBATIONE ET CUSTODIA

cantur, annotat Oetting *de fin. L. 1. c. 16. n. 4. sequ.* Solent hi adstringi, ut ante ipsum mensurationis actum juramentum præstent de mensurandis finibus citra partium studium. Ruland *de Commisf. P. 4. L. 4. c. 20.* Equidem hoc juramentum non semper necessitatis esse videtur in agris privatis discernendis juxta regulas agrimenforum. Huic enim officio solent publice constituti homines inservire, juramento a Magistratu obstricti in initio functionis publicæ, quod citra sordes & corruptiones officio suo fungi velint. De antiquis agrimenforibus juratis vid. Julius Frontinus *de Colon. pag. 128.* De hodiernis autem Oetting-*loc. cit.* Interim in publicis finibus Provinciarum terminandis consultum videtur, quia res majoris momenti, ut non solum utraque pars suos agrimenfores adducat, sed & illi jurata sub fide fines metiantur. Conf. Ruland. *de Commisf. P. 1. L. 1. c. 20.* Nam in ejusmodi personis non unice scientia, sed & conscientia attendenda est. B. Dn. Brunnem. *Comm. ad Pand. ad L. 8. ff. fin. regund. n. 3.* Christinæus *vol. 2. Dec. 184.* Huc pertinet solennis formula juramenti, a Commissariis Regis Poloniæ ad dirimendos fines Lithuanix & Livoniæ missis præstiti, apud Salm. Henning. in *der Sieffland. Cronic. Part. 3. p. 77.* Cæterum non leve subsidium Judicis foret, si utraque pars *Lebnographiam* sive delineationem accuratam situs loci, ad sui informationem efficiendam curet, & deinde Judici offerat. Tunc enim uno obtutu convenientia & disconvenientia perspicui potest: Huc collimat *Recessus de an. 1654.* ibi: Wenn es umb Gränzen, Weidegang, Tagen, und andere dergleichen zu thun, und den Augen-Schein einzunehmen vonnöthen, so soll zu des Richters besseren Information eine jede Parthey einen richtigen Abriss zu produciren schuldig seyn, vid. Brunnemann. *Proceß Civ. cap. 22. n. 11.*



n. n. modum vero & normam conficiendi Ichnographiam ostendit Oetting. *de Fur. Lim. L. 2. c. 6. n. 9. 10.*

§. X. Porro probantur fines Provinciae per *Instrumenta* publica, sive documenta vetusta desuper confecta, sive recentiora. Hisce enim magna & potens vis probandi inest, *Illustr. Da. Stryk introd. ad Prax. For. c. 19.* Instrumentum enim publicum est potius probatio probata, quam probanda, hinc & plenam fidem facere solet, cum eis æque credatur, quam pluribus testibus. *Ioh. Bapt. Cæsar in Conf. Illustr. P. 2. Conf. 45. n. 206.* Nam in antiquis nulla melior est probatio, quam quæ per Instrumenta fit. *Decius Conf. 42. n. 9.* Requiritur autem ad probationem finium Provincialium per Instrumenta & Documenta publica, ut illa expresse fines Territoriorum designent cum omnibus circumstantiis & plena descriptione. Quod si enim tunc signa finium, v. c. lapides prægrandes vel loco moti, aut fossæ terra vel sabulo obrutæ sint tempore belli, inundatione & aliis casibus; nihilominus tamen, si talia instrumenta plana super finibus adsint, illa instar Statuæ Mercurialis hisce casibus inserviunt.

§. XI. Talia finium instrumenta in specie condita sunt super limitibus Marchiæ & Poloniæ. Vidi enim Recessum vetustum limitaneum anno 1251. conditum, & postea 1364. a Casimiro Rege Poloniæ renovatum. Recentius exemplum accuratissimæ finium divisionis & descriptionis nobis suppeditat *Recessus limizaneus*, seu pacta, quibus inter Sac. Reg. Maj. Svecicæ & Sereniss. Elector. Brand. Fridericum Wilhelmum M. gloriosissimæ memoriæ, Stetricini M. DC. LIII. conventum est de finibus & limitibus Pomeraniæ Regiæ, sive citerioris & Electoralis, sive ulterioris. In hoc Recessu exemplar quasi datur, quomodo inter confines Principes Territoriorum limites sint constituti.



Rituendi, quibus signis & aliis eo pertinentibus illi ad perpetuam rei memoriam sint discernendi. Pluribus vero traditur, *Art. 1.* tota Citerior Pomerania, vulgo *Borz Pomern* dicta, una cum insula Rugia, *vi instrumenti Pacis art. 10. §. hunc Ducatum &c.* Coronæ Sveciæ assignata sit. *Art. 2.* illa describuntur specificè, quæ ex ulteriori Pomerania Regno Svecico ceduntur *Art. 4. & seq.* Pagi *mixta Jurisdictionis* & alia huc pertinentia recensentur *Art. 23.* Limitum ductus plenius recensentur, prout illi a Regiis nec non Electoralibus Commissariis, 13. Novemb. & sequentibus diebus peragrando consignati & divisi sunt.

§. XII. Utilissimum igitur est, si super finibus provincialibus certa instrumenta conscribantur, aut vetera solcite custodiantur. Nam juxta horum tenorem, si postea finale jurgium nascatur, signa inquiri, & controversiæ componi possunt. Quando in specie talia documenta fines Provinciæ alicujus continent, solent Germanice vocari *ein Bezirk: Brieff.* vid. *Christ. Besold. Thef. Pract. voce bac Schrader. Conf. Feud. Conf. 1.* Vicissim consignatio agrorum & finium pagi, oppidi, vici aut alterius vocari solet *ein Fluhr: Buch.* vid. *Frisch. Tract. Dom Fluhr: Recht cap. 4.* quem librum Dn. Seckendorff. in *Teutschen Fürsten: Staat pag. 46.* ita describit: Die gemeine Art ist, daß solche Fluhr: Bücher, eben wie Lehen- oder Erbs Bücher pflegen gemacht zu seyn, Nemlich es stehet eines Inwohners Nahmen nach dem andern darinnen, und bey jedem ist zu finden, was er für Güter habe, wie viel Hufen, Acker oder Morgen, neben wem sie liegen, wem sie Lehen oder güldbahr sind, und dergleichen. Quid proprie inserendum sit einem Bezirk Brieff, breviter enarrat Dn. a Seckendorff in *Teutschen Fürsten: Staat P. II. c. 7. pag.*



49. Sofern es zum Vergleich kommt, werden die dazu Verordnete fleißig unterrichtet, wie sie eigentlich handeln sollen, insonderheit daß die Gränzen des Landes, und davon dependirende Hoheit aufs deutlichste gezogen, von andern particular-Markung, dadurch etwan bloßer Gerichts-Zwang, Zoll &c. bedeutet wird, wohl unterscheiden auch mit wahrhaftigen Stücken, als beständigen fundbahren Flüssen, Bergen, Keinen, Steinen, und nicht mit vergänglichen Bäumen, Gräben &c. abgezeichnet. Econtrario, si fines ab una duntaxat parte constituantur, & desuper Instrumenta conscribantur, illa probandi facultate destituuntur. Exemplum suppeditat Heiderus in erudit. Deduct. Lindaviens. p. 360.

§ XIII. Denique per testes etiam fines Provinciae probari possunt. An autem subditi in causa Domini sui ad testimonium evocari possint; merito queritur. Negativa propterea plausibilis est, quia subditi hoc in casu protestibus domesticis habendi videntur, & ipsorum testimonium suspectum, ac verendum, quod semper in favorem Domini inclinet. Legibus praeterea prohibetur, ne testimonium testis domestici ullam habeat auctoritatem aut fidem *L. 12. p. de Testibus L. 3. C. eod.* Hoc pertinent etiam subditi in causa Dominorum suorum testimonium ferre volentes. *l. 6. ff. de testib.* Verum affirmativa fortioribus nititur rationibus. Posito enim, quod subditi pro domesticis testibus in causa Domini sui reputentur, nihilominus regula illa juris: testi domestico non est credendum, limitationem suam patitur, nisi veritas aliter haberi non possit. *L. 8. §. 6. C. de Repud.* Hinc recte Gallius *Opf. 102. n. 9.* asserit cum Antonio de Barrio, Alexandro & aliis ibi adductis, quod testes domestici, familiares, item subditi recipi possint, si aliter veritas haberi nequeat, vid. &



## 32 CAP. II. DE PROBATIONE ET CUSTODIA

vid. & Mynsing. *Cent. 3. obs. 16.* Præterea hodie notum est, quod subditis hoc casu, & quoad hunc punctum soleat obsequium & iuramentum, quo alias obstricti sunt Domino, remitti, (werden ihrer Pflicht in so weit erlassen, conf. Excell. Dn. Jo. Sam. Stryk. *Diff. de Remissione Obsequ. subditis fact.*) & sic illi pro Domino & contra Dominum deponere possint. vid. Carpz. *P. 1. Constit. 16. def. 64.*

§. XIV. Igitur quando testes, sive sint subditi, sive alii deponunt, hosce lapides, montes, valles aut alia signa semper habita fuisse pro limitibus Provinciæ, attestatio illa non leve pondus habet ad probandum, eo usque se extendere limites provinciales. *Cap. cum cautum 13. X. de Probat. & ibi Canonistæ. Paris de Puteo de limit. feud. c. 14. n. 5. Mascard. de Probat. vol. 1. concl. 195. n. 1. Hieron. de Monte de Fin. c. 5.* Requirit tamen Dd. ut illi testes fidem & rationem sui testimonii dent, scientia enim in materia finium requiritur. vid. Prosper. Farinac. *de opposit. test. qu. 70. n. 86.* Si igitur testes illi vicini sint loco quæstionis, optime testimonium de finibus ferre valent. Hinc Zasius *Lib. 2. Conf. 16. n. 21.* dicit, limites communi reputatione vicinorum circumcolectentium probari posse, arg. textus in *L. 1. ff. de flumin.* Baldus autem *P. 1. Conf. 56.* existimat, in huiusmodi factis vulgi circumcolectentis opinionem haberi pro Lege. Sicuti enim consanguinei atatem consanguineorum, ita vicini præsumuntur scire facta vicinorum. *L. de tutela C. de in integr. restit.* testesque vicinorum locorum sunt legitimi in materia finium. Jo. Valenzuela Velasquez. *Tom. 1. Conf. 100. num. 39.* Imo meliores sunt, quam alii, cum ipsis res & jura vicinorum sint magis cognita. Mascard. *de Probat. vol. 1. Concl. 395. n. 2.* juxta quem etiam maxime senes vicini



cini præsumuntur limitum habere notitiam. Igitur per testes probari posse limites provinciales, nullum dubium est, quo & pertinet præjudicium, quod allegat in causa Nassau contra Bentheim, Rütger Ruland. *de Commiss. P. 2. L. 6. c. 11. n. 7.* quod scilicet testis de arbore non signata, tanquam limitanea, valide deposuerit. Conf. etiam Menoch. *de arbitr. Judic. quæstion. L. 2. cas. 106. n. 5.* Zasius. *L. 2. Conf. 11. n. 5.* Mascard. *all. Conf. 395. n. 8.*

§. XV. Quid vero si testes, qui pro finibus Provinciae alicujus deponunt, nullam rationem aut scientiam sui testimonii allegare possint, nisi famam & auditum aliorum, quod fines Provinciae eousque se extendant? Videatur hoc casu, testimonium eorum non sufficere ad probationem finium. Nam fama per se nec plenam, nec semiplenam facit probationem. Cephalus *vol. 1. Conf. 108. n. 7.* præsertim in causa ardua, qualis est determinatio finium Provinciae, licet concurrat cum ea unicus testis, Andr. Alciatus *Resp. 6. n. 13.* Juxta Baldum enim *Vol. 3. Conf. 122. n. 4.* fama, de qua testes mentionem faciunt, debet esse verisimilis, & aliqua idonea conjectura niti, non vero levis esse, & nuda, quippe quæ neque ad probandum, neque ad relevandum ab onere probationis sufficiens est *per L. 3. ff. de Test.* Verum si e contrario consideramus, quod in probationibus finium antiquorum, sæpius alia probationis species haberi non possunt, necessario etiam testes de auditu admittendi erunt, aut, quod adhuc magis iniquum, res sine decisione relinquenda erit. Hinc fama & testes de auditu in antiquis, & ubi difficilis probatio, plene probant. Aymo Cravetta *de antiqu. temp. P. 1. membr. ult. n. 22.* Antonell. *de temp. legal. L. 2. c. 3. n. 3.* Postius *de Manutenent. Dec. 93. n. 6.* Finium autem & Domini, maxime in antiquis, difficilis reputatur probatio.

E

Maf-



## 34 CAP. II. DE PROBATIONE ET CUSTODIA

Mascard. *de Probat. vol. 1. Concl. 383. n. 1.* cum facile mutari potuerint & sæpius hominum excedant memoriam, sicque proprio auditu vel memoria probari nequeunt, recurrendum ergo est ad auditum alienum. B. Brunnem. *Repetit. Paratit. Wesenb. de finib. regund. qu. 16.* Ubique enim ob antiquitatem probatio per visum est impossibilis; sufficit probatio per auditum. Hie. Monte *de finib. regund. cap. 75. num. 1.* Mascard. *all. Concl. 395. num. 4.* Ludov. Postius *all. Dec. 93.* Hinc in facto antiquo lex levioribus probationibus est contenta, quæ alias omnino plenæ non essent. arg. *l. 5. §. 6. ff. de re milit.* Petrus Anton. de Petra *de Fideicommiss. qu. 13. n. 54.* Quod eo magis corroboratur, si testes deponant, se a majoribus & senioribus semper & constanter audivisse, fines Provinciae eousque se porrexisse. Mascard. *de Probat. vol. 2. Concl. 1042. n. 1.* Agnovit æquitatem hujus rei Honorius III. Pontifex *in Cap. cum causam 13. X. de Probat.* disponens, quod in antiquis confines per famam & auditum probari possint. Si videlicet testes deponant, ita famam esse & communem opinionem, quod talis limes semper fuerit observatus a tanto tempore, cujus initii memoria non existit. Hier. de Monte *c. 55. n. 56.* Fulvius Pacianus *Tract. de Probat. L. 1. c. 49. n. 57.* Ruland. *de Commiss. P. 2. L. 6. c. 11. n. 6.* Farinac. *Prax. Crim. L. 1. tit. 5. qu. 47. n. 111.* Mascard. *de Probat. vol. 1. Concl. 396. n. 1.*

§. XVI. Probatis ita finibus Provinciarum, illos sancte custodire, Politica suadet, & salus Reipubl. exigit. Fines enim publici sunt vel *universales* Regnorum & *integrarum* Rerumpublicarum; vel *particulares*, Provinciarum in specie, quæ omnes velut membra inhaerent unius Reipublicæ corpori. Hi si sigillatim bene conserventur, tunc simul *universales* limites salvi sint necesse est. Quo vero hoc



hoc eo melius fieri possit, nimia finium amplitudo cavenda est. Animadvertit hoc Imperator Octavius Augustus. Hic Imperium Romanum cum maximum esset, & in fastigium summum enixum, ab Oriente *Euphrate*, a Meridie *Nili* Cataractis, desertis Africae, & Perpetuis montis *Arlanzis* jugis, Occidente Oceano, a Septentrione *Danubio* & *Rheno* determinatum volebat. conf. Lipsius *de Magnitud. Roman.* L. 1. c. 3. Conring. *de Germ. Imp. Rom.* c. 2. p. 13. Scilicet addiderat Augustus in supremis tabulis Tiberio consilium *coërcendi intra terminos Imperii*, incertum metu, an per invidiam; subjungit more suo succincte & acute, Tacitus *Annal. Lib. II.* metu factum fuisse hoc ab Augusto existimat Cl. Förstnerus in *Nox. Polit. ad dict. loc.* p. 57. fuit tamen talis metus, quem prudentia maxime comitata est, vid. Boecler. *add. Tacit. b. l.* Prægrandia enim Imperia sæpius mole sua laborant, & vastis navibus haud absimilia sunt, quæ lente & difficulter reguntur. conf. Grüter. *ad Tacit. lib. 1. Disc. 17.* Bernegg. *quæst. ad Tacit.* 2. 187. Lipsius *Polit. 4. c. 58.* Didacus de SAVEDRA. *Symbol. Polit. p. 683.* Joh. Boterus *Polit. Illustr. Lib. 2. c. 5.* Augescit malum, si fines Monarchiarum non solum ampli sint & disjecti, sed per varia alia territoria inter se disjecti. Hoc enim *Hispaniam* inter alia impotentem reddidit, vicissim *Galliæ* vires immensum auxit, quod omnes istius Provinciae, nullo alio territorio dissectæ, unum & contiguum corpus Reipubl. constituent. vid. B. a Pufendorf. *Introd. ad Hist. de Gallia & Hispania.*

§. XVII. Inter saluberrima hujus Augusti instituta etiam hoc merito connumerandum, ut certis *Legionibus* limites defenderentur. Div. Cassius *Histov. lib. 55.* Anton. Perez *ad Cod. de fundis Limitropb. v. 2.* Hi milites vocabantur *Limitanei*, Duces vero eorum *Limimarchæ*. conf. l. 4. C. de fugitiv. & ibi B. Brunnem. quod vocabulum haud



haud dubie in mente habuit Reinking. *de Regim. Secular. & Ecclesiast. l. 2. class. 5. c. 2. n. 13.* dum *Liminaribus* vocat. Fundi autem, qui ipsorum sustentationi destinati erant, appellabantur *Limitropi* *ror. tit. C. de fundis Limitropb. lib. all.* ibique Dd. Erat enim vastissimum corpus Imperii Romani in varias Regiones & Provincias separatum, quarum quælibet suos certos limites habebat, una cum Præfectis & Prætoribus. Hinc occurrunt in Pandectis Præfecti *Augustales*, qui Ægypto *L. un. ff. de off. Præf. August.* In Codice mentio fit Præfecti *Prætorii Africa. t. 2. C. de off. Præf. Prætor. Afric.* Præfecti *Orientis & Illyrici* *ror. tit. C. de offic. Præf. Or. & Illyr.* & plures alii, quorum distincta officia exhibent Jac. Gutherius *de officiis Dom. August.* Petr. Faber. *Semestr. l. 1. c. 1. seq.* Jac. Gothofred. *in Cod. Theodos. passim.* Inprimis vero cura Romanorum circa limites Provinciarum custodiendos sollicita erat. Sic Drusus per Rheni ripam *quinquaginta* amplius castella direxit. *Flor. 4. 12. 26. add. Boecl. Instit. Politic. lib. 4. c. 4.*

§. XIX. Ut vero limitanea loca eo melius conferventur in vastis Monarchiis, ex Regulis Politices svadet Försterus *in Notis ad Corn. Tac. p. 451.* ne limitanea Regnorum loca tam gravibus vestigalibus, atque ea, quæ in meditullio Regni sunt, onerentur, metu defectionis. Inde noluit Darius tributarios esse Æthiopes & Colchos, quia limitares erant. Veneti hodie mitius tractare putantur Bergomates, Brixenses, Cremenses, Mediolanensium olim ditionis oppida. Et Neapolitani acerbius ab Hispanis habentur, quam Mediolanenses, qui cum Allobroge, Gallis, Venetis consilia Hispanis perniciosissima inire possent. Verum ab hac regula prudentiæ postea Hispani recessisse sub Philippo IV. videntur, dum Cathalonos vicinos Gallis duro jugo prementes, ansam iis suppeditarunt auxili-



auxilium & protectionem Gallicam implorandi & impetrandi, imo ipsorum clientelæ semet subjiciendi. Unde prudenter perpendit damnum, quod Monarchiæ Hispanicæ inde contigit, Autor *vita Cardin. Richelii tom. 2. ad Ann. 1640. p. 419.* quando inquit: *Du côté de Carologie, il se presenta une occasion à la France, de faire une bien plus grande breche a la Monarchie Espagnole, quod susius postea recenset, addit. Victorii Rer. Syri memorat. tom. VIII. p. 814. Ludov. Auberii vie du Cardinal Richelieu Liv. 6. chap. 49.*

§. XIX. Non minorem curam impenderunt limitibus Patriæ tuendis Majores nostri. Eum in finem tot Marchiones instituti sunt. Quamvis enim sub successoribus Caroli M. Germanico-Romanum Imperium in varios Ducatus, Palatinatus, Landgraviatus, Burggraviatus, Comitatus divisum fuerit. vid. Conringii *Diss. de Duc. & Comit. Imp. ff. 18. Lehmanni Chron. Spirens.* In primis autem Marchiones, die Marggraven, præfecti sunt finibus, ut incursionibus hostium resisterent, & jus ibi dicerent. *Marck* enim veteri appellatione limitem vel fines notat. *Lindenbrog. Glossar. voce Marcha. Vossius de vit. lat. ferm. lib. 2. c. 20. Wolfgang. Lazius lib. 1. Comment. de Rep. Roman. c. 2. Marca, inquit, limes est, qui limitibus Imperii præerant, olim Marchiones dicti, proprie Marchgravi, Romanis Duces Limitanei. Conf. Hottom. in Diction. Feud. verb. Marchiones. Wehner. observ. Pract. verb. Marck Beatus Rhenanus Rer. German. L. 2. p. 90. Hinc olim deficiantibus Borcholdo de Feud. c. 5. n. 31. Vultejo de Feud. c. 4. n. 14. Lago Comp. Jur. Civ. & Sax. lib. 2. r. 8. Marchgravi limitum Judices erant Fürsten, die über die Lande Richter seyn, welche an den Gränzen des Reichs gelegen, ubi Landgravi erant Judices Mediterranei, Comites Palatini Præfecti & Judices Palatii Cæsarei, Burggravi,*



gravii, qui Judices erant in certo quodam Burgo, seu ca-  
stro & circumjacente Territorio. Vid. Lehmann. *Chron.*  
*Spir. passim.* Reinecc. *Chron. von des Adels Herkommen, p.*  
*38.* Speidel in *notab. Jurio. Politic. v. Marckgraaff Besold.*  
*thes. ead.* Unde clarum est, illos fallere & falli, qui Mar-  
chionum appellationem derivatum eunt a *Marchione* quo-  
dam *Trojano*, aut *Marcomiro*, Francorum vetusto Rege,  
aut a *Marcomannis*, quod vult *Lyclama*, aut vocabulo  
Celtico *Marchia* i. e. Equo, quod *Alciatus* & *Oldendor-*  
*pius* volunt, recte derisiva *Hermann. Vultejo in Comment.*  
*de Feud. L. 1. c. 4. n. 14.*

§. XX. Temporibus Carolingicorum Imperatorum  
quidem Marggraviorum appellatio in Germania fuit i-  
gnota. vid. Lehmann. *Chron. Spir. lib. 2. c. 17.* Primus autem  
*Henricus I. sive Aceps*, fuit inter Imperatores Germani-  
cos, qui Marchiones instituit, conf. *Exc. Dn. Thulemarius*  
*de Ostovivat. c. 17. n. 13.* Inter illos vero Marchiones, & qui  
adhuc hodie nomen amplissimam dignitatem gerunt, sunt  
*Marchiones Brandenburgenses*, olim contra *Vandalos*, ho-  
die contra vicinos Imperii Septentrionales praesidio Ger-  
maniae & tutamini. De quorum potentia florentissima,  
quod machinationibus occultis & apertis hostium resisten-  
do sit, gratulatur sibi Germania, & optant in primis inco-  
lae Rheni, ut paribus Marchionibus sive Diis tutelaribus  
adversus Gallorum vexationes essent instructi. Austria  
etiam & in specie intuitu *Moraviae* Marchionatus titu-  
lum gerit, qui fuit institutus contra *Hunnos*, sive hodie  
*Hungaros*. Ubi non possumus non deprædicare felicita-  
tatem armorum Augustissimi LEOPOLDI, qui victoriis  
& trophæis a Porta Ottomannica multis in præliis repor-  
tatis, ab hac parte fines Germaniae ab omni insulcu Bar-  
barorum hostium liberavit, Hungariae regno jam auspi-  
catissi-



catissime recuperato, quod & in posterum contra immanem Turcarum potentiam instar propugnaculi Germanis futurum sit, si modo castra & limitanea castella omnibus ad bellum necessariis semper abunde instructa inveniuntur. *Marchionatus Misnensis* contra Bohemos, *Polonus* & alios institutus est. *Marchionatus Badensis* ad tuendum Rhenum fundatus, ubi dolendum est merito, neque hujus Marchionatus potentiam, neque aliorum Rheno vicinorum Principum opes singulas spectatas, aliquid notabilis momenti afferre posse ad resistendum Potentissimo vicino Regi, cujus libido dominandi jam dudum omnibus vicinis suspecta, Europæ gravis, Germania extremitatibus sæpius luctuosa extirrit. Plura de hisce Marchionibus & intentione circa institutionem eorum hauriri possunt ex *Limnæo Jur. Publ. lib. 4. c. 4. n. 21.* & *in Alder. Burgold. in Limnæo Erucl. lib. 2. c. 15. n. 9.* *Hermano. Hermes fascic. Jur. Publ. c. 33. n. 4.* *Mylter. ab Ehrenbach. de Princip. & Stat. Imp. P. I. c. 9. n. 5.* *Burgoldensis, sive Oldenburgerus, Notit. Rer. Imper. Illustr. P. I. Disc. 20. n. 14.*

§. XXI. Perpendentes vero Status Imperii, ejus limitibus adversus hostium molimina defendendis, hactenus a Germanis satis laboris impensum haud esse, cogitatum fuit ab Imperatore & Ordinibus de novo Equitum ordine, ad tuendos fines Imperii contra Turcas, instituendo. vid. *Recess. Imp. de Anno 1576.* §. *Fernerer haben wir ic.* & *Rec. Imp. de Anno 1603.* §. *Wie wir auch ohnbergeffert bleiben ic.* verba Cæsareæ Propositionis inter alia ita se habent: *Aus welchen allen abzunehmen, daß man im H. Römisch. Reich Teutscher Nation bey tzeiger obliegender Gefahr und Noth keinen bessern und gelegnern Weg und Mittel zu mehrerer Erhaltung und Beschützung der Frontier und unvermeidlicher stetiger defension an die Hand nehmen*



men kan, denn die Anrichtung eines solchen Ritter-Ordens, der sich beharlich selbst und stets aus seinen Einkommen erhalten, und auff der Frontier kriegen möchte. Verum quemadmodum res ista in herba extincta est eo tempore, nec unquam felicem exitum sortita; vid. *Limæus Jur. Publ. tom. 4. in Addit. ad L. 6. c. 2. n. 12.* Ita etiam dubitare liceat, an multum emolumentum ad patriæ fines defendendos sit allatura erectio ejusmodi Equestris Ordinis. Nam hujus generis Ordines solent plerumque cito declinare a primæva institutione, uti patet ex ratione, quæ a Dn. Præside *Jurispr. Publ. Diss. IX. §. 22. sequ.* allata est.

§. XXII. Ut vero hi fines & limites publici Universales eo exactius conservarentur, Urbes & Castella circa fines Provinciarum, maxime si potentes vicini sint, bene munitæ esse debent. Vocantur illæ Frontier, Städte, Gränz, Festungen, quibus si Resp. bene sit instructa, omnibus munimentis mediterraneis ut inutilibus & tamen admodum sumtuosis carere possumus. Exemplum nobis sistit florentissimum hodie Franciæ Regnum. Hoc nulla castella, nullas arces munitas in meditullio suo habet, nec ipsa Regia sedes Lutetia Parisiorum ad resistendum potenti exercitui apta reddita est. Nihilominus contra vim externam illi regno abunde prospectum limitibus & munimentis validissimis, aut recuperatis, aut de novo constructis, *Perpinianum* versus Hispaniam, *Pinarolum* versus Italiam, *Argentoratium* hodie versus Germaniam non solum ipsi tutamen sunt, sed & claves constituunt, quibus, Richelieu Cardinali & Ministrissimo, quem vocant, Regis Ludovici XIII. iudice, Gallia indigebat, add. *Becmann. Histor. Orb. terr. Georg. & Civ. P. 2. c. 3. §. 2. & a Vie d'Armand Jean Cardinal Duc. de Richelieu tome second. p. 64.*  
Ut nil



Ut nil dicam de tot aliis limitaneis claustris versus Belgium, Germaniam, Helvetiam ab hodierno Rege adjectis.

§. XXIII. Magnum igitur & ingens praesidium in custodia accurata munimentorum in finibus Regni sitorum positum est, quod & olim Imperatores obseruarunt. Sic meminit inter alia *Burgorum* sive Castellorum limitaneorum Justinianus in *L. 2. C. de offic. Praef. Praet. Afric.* In hisce enim custodes limitum servabantur, & Castella prope clausuras & fines erant. Nec ignotum in Codice Theodosiano nomen *Burgartorum* sive militum ad limites tuendos ibi subsistentium. vid. Gothofr. *ad d. tit. de offic. Praef. Afric.* Hinc etiam nonnulli sunt, qui Burgravios antiquos Germaniae inde dictos volunt. Verum officium illorum cum Marcgraviorum munere non coincidisse, admodum probabile est. vid. Besold. *Thef. Pract. voc. Burg-und Burg-Grav.* Nam & Burgravios habemus v. c. Norimbergicos, qui non in limitibus Germaniae, sed potius ejus medietate, Burgraviatus suos possederunt.

§. XXIV. Ultri autem fines totius Regni aut Reipublicae bene custodire convenit, ita in specie limites publici particulares Provinciarum contra vicinos custodiendi sunt. Eum enim in finem potentiores Principes, qui vastas Provincias, non tamen inter se contiguas, sed cum multis potius aliis Principum Territoriis confinantes possident, certos inspectores iis praepone solent, qui Aulæ a Consiliis finium regundorum sunt, uti in Terris Brandenburgicis inter alia bene & feliciter ordinati regiminis signa, hoc passim observare licet. Ubi vero tales non sunt, Praefectorum, *der Amt-Leute*, maxime in pagis confinibus officium est providere, ne in publicum ex mutatione finium damnum quid redundet. Graviter hoc eorum officium delineat Oetting. *de Jur. lim. L. 1. cap. 2.*



num. 5. *seq.* his verbis: Zu welchem Ende die Ampt-Leute in Antretung ihrer Verwaltung, vorderst derselben Reichthümlichen und Begriff, nach Ausweisung der aufgerichteten Verträge und Lage-Bücher, mit Fleiß erlernen, und wie sie vermarktet, von Steinen zu Steinen, von Zihlen zu Zihlen erkundigen, solche auch offtermahls, und gewöhnlich jäherlich besuchen, und etwa alle fünff Jahr einmahl, nicht allein mit alten des Feldes erfahrenen Personen und Untergängern, sondern auch mit jungen Leuten umher gehen sollen, damit sie die Mark: Steine und Zihlen ihnen wohl einbilden und im Gedächtniß halten, auch in langer Zeit in vorfallender zweifelhafter Ungewißheit der abgegangenen Land: Marken beständige Kundschaft und Zeugniß ihrer Wissenschaft geben können &c.

§. XXV. Neque illud inconsultum putaverim cum laudato Oettingero *l. c.* ut Praefecti Principalium ditiorum & pagorum cum redditionem rationum suarum edunt coram Regimine aut Camera, simul interrogarentur super finibus Provincialibus v. c. Ob die Gränzen ihres anvertrauten Ampts allenthalben mit hohen gewapneten Steinen und kündlichen Zihlen wohl vermarktet? Wer die angränzenden Herrschaften? ob sie gute Nachbarschaft halten, oder an denen Gränzen Eingriff thun? Ob nicht die Benachbarten über die Marken die Wehde besuchen? Ob sich nicht auf denen Gränzen, oder auf der Anwand, oder dem Unter: Mark: Schlag blutrünstige Hänsdel oder gar Tod: Schlag begeben, und wie sie gerechtfertiget worden? Ob nicht in der Nach: Eil auf dem Unter: Sehl, oder gar über dasselbige von denen anstossenden oder andern Herrschaften Maleficanten beygefangen worden. &c. *Hifce & aliis propositis remediis fines Provinciarum & Territoriorum in suo esse conservari possunt. Quorum memo-*



memoria quomodo & quibus solennitatibus in pagis, villis, vicis, oppidis & civitatibus conservari & illæsa servari soleat, pluribus tradunt Oldenburger in *Itiner. Jurid.* 2. 5. n. 519. Nos vero pergitur ad Caput sequens de Jure finium Provincialium intuitu subditorum.

## CAP. III.

DE

JURE LIMITUM PROVINCIALIUM  
INTUITU SUBDITORUM.

SUMMARIÆ.

**C**onnexio cum Capitis præcedentibus §. 1.

An Princeps in vicis subditis limites Provinciarum possit immutare, partim alienando? §. 2.

Distingvendum hic inter Principatum Patrimoniale, & certis conditionibus acquisitum. §. eod. & 3.

In posterioris generis Principatu alienatio est permissa in locis propriis §. 4. in. ob salutem & necessitatem publicam fines mutari possunt. §. eod.

Sub prætextu omisi consensus subditorum Pax a Principe facta, in qua Territorium auctioribus finibus includitur, non annullanda est. §. 5.

Barbarus & cum justitia pugnans mos Turcarum circa fines Imperii sui. §. 6.

An Princeps in vicis subditis unam Provinciam cum alia permutando simul fines immutare queat. §. 7.

An in hisce alienationibus & mutationibus finium a Principibus susceptis consensu Imperatoris opus sit? §. 8.

An Imperator possit immutare fines Germanici Imperii sine consensu Statuum? §. 9.

An Imperator & Imperium ingruente bello castellum infirmis Domini ipso invito occupare possunt? aff. §. 10.

F 2

Dubi-



44 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM.

*Dubium contra hanc sententiam solvitur cum ejusdem æquitate & pleniore explicatione. §. 11.*

*Idem jus habent Principes tempore belli circa bona subditorum in confinio sita. §. 12.*

*Subditi tenentur propter jus sequela Dominum comitari extra fines Territorii. §. 13.*

*Sed tunc æquum est, ut alimenta ipsis suppeditentur. §. 14.*

*Equites Vasallorum (die Lehn-Pferde) mox ultra fines Provinciae non ducuntur. §. 15.*

*An Conventus Provinciales (die Land-Täge) extra fines Principatus institui possint? §. 16.*

*Ad Dominum Territorii pertinent omnia, quæ finibus Territorii includuntur. §. 17.*

*Quid juris, si flumen fines constituat inter duo Territoria, & in illo insula nascatur. §. 18.*

*Si flumen arcifinium, insula ad illum spectat, ad cuius terram prior est: Illustr. Resp. Illustr. Facult. Jurid. Hall. §. 19.*

*Nobilis investitus tali insula non amittit illam, licet per alluvionem locum mutet. §. 20.*

*Quid juris circa limites, si duo tractus uniantur. §. 21.*

*Forum controversiarum de limitibus. §. 22.*

§. I.

**P**ostquam præcedente capite vidimus, quomodo limites Provinciales in dubio probentur & vindicentur, probati & asserti vero deinde custodiendi sint; consequens nunc est porro dispicere, quid Juris Principi supersit circa fines sui Territorii intuitu & respectu civium suorum, sive subditorum. Variæ autem illustres controversiæ hic occurrunt decidendæ, quas ordine in §§. sequentibus sumus exposituri.

§. II. Ni-



§. II. Nimirum cum Principes in suis Provinciis supremi sint, ac jura moderentur, omniaque disponant pro lubitu, ex salute tamen suæ Reipublicæ illaque potestas non solum de Principibus absolutis, sed etiam Germanicis possit dici ob Superioritatem Territorialem ipsis ab immemoriali tempore, stirpe Carolina extincta, competentem, perpetuoque usu confirmatam, conf. Dn. Præf. *Diss. de Foederibus Principum cum Exteris*. §. 3. seq. & denique in *Instrumento Pacis, Artic. Gaudeant. VIII.* instar sanctionis pragmaticæ repetitam, inde solet quæri, quæ sit potestas Principis circa limites Provinciales; *an de illis possit disponere, illos mutare, non consentientibus & invitis Statibus Provincialibus, tum & illis Dominis, quorum Pagi & Dynastie alteri conceduntur?* Ad hanc autem quæstionem solide responderi haud poterit, nisi Regna & Principatus ex variis causis acquisitos bene discernamus. Inde enim fluit diversitas potestatis, quam Princeps etiam hic sibi arrogare valet. Regna igitur & Principatus sunt vel *Patrimoniales*, vel illa, quæ Rex vel Princeps habet jure minus pleno, *fiduciario*, aut, ut Grotius de *J. B. & P. L. l. c. 3. §. II.* loquitur, usufructuario. Prioris generis Principatus est, qui ad Principem pervenit bello & subjugatione, quo titulo, ut recens exemplum addamus, Hungaria acquisita est a Domo Austriaca, aut quando populus aliquis in alterius Principis ditionem majoris mali vitandi causa ita se dedit, ut nihil exciperetur, Grot. *cit. loc.* In tali regno subditi nihil proprii possident, sed omne illud, quod sibi parant, in libera dispositione Principis est, & tanquam paterfamilias de illis agendi potestatem habet. Quapropter, tales subditos cum servis Romanorum comparat Pufendorfius de *Jur. Nat. & Gent. L. 8. c. 5. §. 1. in tali Regno*, inquit, *Cives sua non alio tenere iure, quam*



## 46 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

quo servi quondam Romæ peculia sua obtinere, sicut eorum possessio sit mere precaria, arbitrio Regis quandoque visum fuit, revocabilis. In tali igitur Regno Patrimoniali de finibus disponere posse Principem citra consensum subditorum, facillime demonstrari potest.

§. III. Altera species Regnorum & Principatum illa est, quando summa rei uni est delata voluntate libera populi. Tales sunt plerique Principatus. In his vero cum Grotio *cit. lib. §. 13.* asserimus, non esse præsumendum, eam fuisse populi voluntatem, ut alienatio partis Imperii sui Regi permitteretur. Alienatio igitur illa partis Principatus, cum contra intentionem populi deferentis sit, & hæc intentio quasi Legem Fundamentalem istius Principatus constituat, non procedit sine populi consensu, vel clarius, sine suffragio Statuum Provincialium, quippe qui populum repræsentant, uti egregie hoc deduxit Ill. Dn. Stryk. *Diff. 1. de Jure Statuum Provinc. Vol. V.* Quod vero dicitur de alienatione totius, vel partis Principatus, idem etiam applicari potest ad mutationem finium, quippe quæ contingit, si saltem pars Principatus alienetur. Nam non potest vel minimæ partis alienatio aut separatio sine coarctatione aut separatione finium Provincialium contingere. Igitur quod juris in alienatione totius est, idem & in alienatione partis ejusdem admittendum est. Jam vero comprobatum dedimus, in Regnis & Principatibus limitatis, sive ad Leges certas fundamentales adstrictis non competere hanc potestatem alienandi unice Principi, sed simul populo, aut qui illum repræsentant, Statibus Provincialibus. *conf. Ziegler. ad Grot. de F. B. & P. L. l. c. 3. §. 11. sequ.* Hotoman. *Quæst. Illustr. P. I. quæst. 19. n. 1. sequ.* Anton. Perez. *Prælim. ad Cod. tit. de Donat. n. 17.*

§. IV. Igi-



§. IV. Igitur Princeps circa coarctationem & mutationem finium Provincialium nil suscipere valet sine consensu Ordinum. Interim tamen & hæc assertio limitationem patitur, pro varia negotiorum Civilium figura indoleque. Primum enim Princeps talis potest habere bona immobilia Jure proprio sive patrimoniali & allodiali ad ipsum spectantia, hæc vero proprie ad Provinciam non pertinent, hinc si illa ab ipso alienantur, fines quidem mutantur Provinciæ, ast hic statuum consensu non opus est. *Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 6. §. 11. & in not. ad b. l. B. Ziegler. Heigius all. qu. 19. n. 5.* modo illa bona non sint ab ipso postea relata inter Domania & Fiscalia, tunc enim ad eorum alienationem Reip. consensu opus est. *vid. Illustr. Dn. Stryk. Caut. Cont. sect. 1. c. 3. §. 14. sequ. & Diss. Inaug. a Dn. Præside sub eodem habita de Jure Principum circa Ration. Civit. c. 7. n. 17. sequ. & ibi allegati, Panormitanus, Lucas de Penna, & recentiores Jcti, qui hanc materiam de Domaniis tractarunt, longa serie ibi adducti.* Deinde circa hanc mutationem finium Provincialium excipiendus est casus *necessitatis utilitatis Publicæ.* Nam si hæc duo concurrunt, princeps omnino salvam habet, potestatem limites hosce mutandi. *vid. Zieglerus ad Grot. citatur loco.* Salus enim publica reliquis rebus omnibus præferenda est, cum sit Statua Mercurialis & stella Polaris ad quem omnia consilia & facta Principis collimare debeant. *Petrus Antonius de Petra de Jure quæsito per Princip. non toll. cap. 32. qu. 4. n. 5. & qu. 5. n. 9. Surdus Vol. 2. Conf. 210. n. 29. Aym. Cravett. Vol. 5. Conf. 973. Illustr. Dn. Stryk. de Salut. Publ. cap. 1.* Contingit vero hoc modo elienatio, si Princeps citra illam, pacem ipsi & reliquo territorio necessariam, recuperare haud possit.



possit. Præterea in rebus modicis, & si non magni præjudicii sit mutatio finium Provincialium, libera potestas hic Principi concedenda est, vid. Grot. *de Jur. B. & P. L. 2. c. 6. §. 11. & ibi Annotatores Ferdin. Vasquez. Controv. Illust. Lib. 2. c. 5. n. 11.*

§. V. Inprimis vero arca mutationem finium Provincialium, & in quaestione, cui hæc potestas competit, circumspiciendæ sunt consuetudines & mores Regionis, ubi talia contingunt. Franc. Hotoman. *qu. all. 1.* Henr. Arnisaus *de Jure Majest. lib. 3. c. 1.* P. Gregor. male vulgo Tholosanus, *de Rep. L. 3. c. 8. n. 7.* Sæpius vero hac occasione utuntur Principes ad rumpendum pacem & alia promissa, tempore necessitatis ab iis facta. Sic cum Franciscus I. post infelicem cladem exercitus sui in Campi Ficennensibus 1524. captus a Carolo V. Ducibus & Madritum captivus ductus esset, cum Carolo V. Imperatore pacem inivit. Primaria capita hujus pacis erant liberatio Francisci I. hujus renunciatio jurium in utramque Burgundiam, Regnum Neapolitanum, Ducatum Mediolanensem &c. Verum simulac Franciscus libertatem recuperaverat, Lutetiam reversus, a Parlamento hæc irrita declarata sunt, connivente Rege. Prætextus erat, quod Rex sine præscitu Senatus Galliarum has partes alienare, & Franciarum fines ita insigniter mutare haud potuisset. vid. Dn. Becmann. *Histor. Orb. terr. Geogr. & Civil. P. 2. c. 3. §. 5.* Ubi sane cautius fecissent Consilarii Imperatoris ad præscindendos hosce prætextus, si etiam a Parliamentis ratificandas tabulas curavissent, antequam Franciscus dimitteretur. Sane enim hoc habet Gallia peculiare, quod circa limites ejus non præterendum est, illos cum incrementis Jurisdictionis æque proferri, cum in Hispania aliisque Regnis, etiam si Ju-

risdi-



risidictioni non vi Regis tractus accedant, priores termini tamen iidem maneant, & tractus illi peculiare Status efforment, prout in utraque Sicilia, Ducatu Mediolanensi, Belgio elucet, quæ Regis Hispaniæ Imperium exceperunt quidem, sed non tanquam Hispaniæ Regis, verum peculiare Status sui Principis. Vicissim a Gallis quicquid acquiritur, id ipsi Coronæ Galliæ accedit, & quantumcunque sit, Jurisdictionem Regis tanquam Regis Galliæ agnoscere tenetur. Dn. Becmann. *Hist. Orb. Terr. Geogr. & Civ. Cap. IV. §. 3.* Inde est, quod Reges eorum duntaxat *Franciae & Navarrae* titulo utantur. Verum cum hodie Reges Galliæ, si ulli alii, absolutam potestatem nacti sint, dubitare merito liceat, an amplius citra manifestam cavillationem eo prætextu uti possint.

§. VI. Interdum etiam ipsis Legibus cautum est, nunquam restituere remediis pacificis civitates aut loca, quæ semel fuere occupata. In specie in Imperio Turcico Lege aut more prohibentur Imperatores restituere Regnum aut Urbem aliudve solum, in quo semel suæ Religionis sacellum (quod ipsis Moschee dicitur) dedicaverint ac fundaverint. Christ. Försten. *in nov. Polit. ad Tac. p. 385.* Qui idem persuasus est, hanc constitutionem mire facere ad superandas difficultates, quibus implicati novi Principes tenentur, & ad obstinatam partorum defensionem: Scientibus omnibus, non pactis, non ulla transactione, sed sola vi armisque perdi Provincias, armis acquisitas. Neque hæc adducta in admirationem rapere debent, reputantes, quod tamen nupera pace cum Turcis, tot Provincias acquisiverint Austriaci. Nam in illa pace Turcæ nil cesserunt, sed omnia illa jam ab Imperatore erant occupata in ejus manu, cujus quæra possessio



50 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

fessio ipsi hac pace facta est, saltem ad tempus. Potuit etiam ad res præclare gerendas Othomannidas instigare, quod nulli Imperatorum, vel ad nominis famam, vel corporis sepulturam, templa aliaque publica opera extruere liceat, nisi Imperii fines protulerit. Nam quid hoc aliud est, quam incitamentum & vehementissimus stimulus, quo vel ignavissimi Principis animus ad ambitionem, ad gloriam & famæ ardentissimum desiderium excitetur. Certe exemplum de *Selimo*, Turcarum Imperatore, ob hanc causam bellum gerente, exhibet Thuanus. *Hist. Lib. 47.* Maurocen. *bist. Vener. Paruta lib. 1. de Bello Cypr.* M. Gratian. *L. 1. de Bello Cyp.* Verum hæc axiomata politica fines Imperii extendendi injustissima Barbaris hisce populis relinquimus defendenda, haud ignari, quod inter Christianos bello injusto non liceat fines Regni sui protendere, & quod subditi etiam Principes suos non adstringant ad talia.

§. VII. Vidimus vero hactenus, quid juris a subditis prætendi possit, si fines Provinciales coarctentur aliquam partem Provinciæ alienando, non videtur autem, eandem decisionem formandam esse, si una Provincia, aut pars ejusdem cum altera permutetur. Sic e. c. Sereñiss. ac Potentiss. Elector Brandenb. Gloriosiss. memoriæ, Fridericus Wilhelmus, tempore pacis Westphalicæ pro Pomerania Citeriore, Coronæ Sveciæ contractu permutationis cedere voluit Ducatus in compensationem acceptos, videlicet Magdeburgicum, Halberstadiensem, & Mindensem una cum 2000000 Uncialibus, teste Pufendorfio in *Hist. Frid. Wilhelmi. cap. 3.* Verum etiam hoc casu subditorum & Statuum Provincialium consensum intervenire debere existimo, quia de ipsorum præjudicio agitur, & interest eorum maxime, sub quo Domino vel

Regi-



Regimine vivant. Equidem secundum Lud. Molinam *de Primogenit. Hisp. lib. 4. c. 4. n. 1.* Paulum de Castro *ad L. 1. c. Comm. utr. Jud. n. 2. sequ.* Illa quæ alias prohibita sunt alienari, facilius permutationem admittunt: Verum hoc axioma in civilibus, v. c. fideicommissis familiaræ, *Stamm-Gütern*, vix procedit, multo minus in Publicis controversiis.

§. VIII. An autem in hisce alienationibus Terrioriorum & mutationibus finium præter consensum subditorum, *Imperatoris suffragium requiratur, si Princeps alienare velit*, anceps quæstio est. Qui affirmant suæ opinionis fundamentum, quærunt in placitis Juris Feudalis. Feudum enim a Vasallo cedi non posse sine Domini & Agnatorum consensu, clare patet *ex 2. F. 52. 2. F. 39. 2. F. 55.* Atque hanc dispositionem Juris Communis Feudalis etiam trahendam esse ad Feuda Imperii, haud pauci ex celebrioribus Dd. asserunt. vid. *Berlius de pact. fam. Illust. c. 9.* *Ziegler. de Jure Majest. lib. 1. c. 4. n. 27.* *Seckendorf. im Teutschen Fürsten: Staat, P. 11. c. 3. n. 6.* *Multz. Repræsent. Majest. Cæsar. P. 2. c. 13. §. 4. n. 64.* Vicissim vero alii cum *Merckelbachio* apud *Klokium tom. 1. Conf. n. n. 146.* *Frantzio* apud *Struv. Syntagm. Jur. Feud. cap. 14. apb. 29. n. 5.* asserunt, Principem plane liberam potestatem alienandi habere, idque ex communi Germaniæ consuetudine. Cui opinioni etiam inde robur accedit, quod pleraque Feuda Germaniæ Statutum oblata sint, & hoc intuitu liberior hic sit dispositio conf. eleg. *Diss. Excell. Dn. Thomas. de Feudis Oblatis quæ extat. in Volum. Disputat. Lipsiens.* Quod concedi posse videtur, si sermo sit de parte aliqua alienanda, tunc enim consensum Imperatoris implorare haud opus esse. vid. *Illustr. Dn. Stryk. Diss. de Oblig. Feud. consensu*



52 CAP. III. DE JURE LIMITVM PROVINCIALIUM

*munita c. 2. n. 9. seq.* quem locum *Itterus de Feudis Imperii cap. 23. n. 2. de omnimoda ipsius Principatus alienatione* quidem intelligit, verum male & incuria, licet alias sat accuratus scriptor ille sit.

§. IX. A Principibus vero nos convertimus ad Imperatorem, indagaturi, quatenus hic partes Imperii alienare, & sic fines Germaniæ arctiores reddere possit? In responsione autem hujus quæstionis non confundenda sunt diversa tempora, quippe in quibus potestas Imperatorum circa alienationem Provinciarum modo amplior, modo restrictior apparet. Ante Capitulationes Imperatoribus præscriptas, Imperatorem valide sine consensu reliquorum Ordinum, Provincias civitatesque Imperii alienare potuisse, existimat *Strauchius Diff. de Oppignor. Rer. Imper. lb. 25.* Huic vero reclamat *Limnæus ad Capitul. Caroli V. artic. 9. n. 3. & Ferd. IV. artic. 9. n. 5.* cum quo consentire videtur *Conringius de finibus Imperii cap. 19.* ubi ex Historia probat a *Friderici II. avo*, & sic ab exordio usque seculi XIII. Caesaribus nullam alienandi bona Imperii potestatem amplius fuisse, & quamvis multa exempla in contrarium extent, posse tamen dici, quod de facto talia contigerint. *Conf. Dn. Schwed. Jus Publ. Part. spec. sect. 1. c. 23. §. 2.* Quæ ultima sententia, ex legibus tamen Imperii constat, quod a temporibus *Caroli V.* terrarum Imperii, sine consensu Electorum, plane Caesaribus interdicta est omnis oppignoratio & alienatio; antiquiores interim oppignorationes ratae & validæ esse justæ sunt. Dicta hæc confirmant verba Capitulationis *Caroli V.* ita se habentia *artic. 9. Ohne Wissen, Willen und Zulassen gemelbeter Churfürsten sämtlich nichts hingeben &c.* Quod idem in reliquis Capitulationibus Successorum ejus repetitum fuit usque ad



ad Capitulationes Leopoldi & Josephi *art. 12.* Equidem reliqui Status in *Monitis ad Capitul. Leop. art. 9.* urserunt, ut & ipsorum consensus requireretur his verbis: daß der künfftige Römische Kayser ohne Churfürsten, Fürsten und Stände Consens nichts von Reich veräußern &c. Verum hoc monitum Electores Capitulationi inserere neglexerunt. Conf. Eitel Friedrich von Heerden in der Grund:Veste des H. Röm. Reichs. *Part. III. c. 3. pag. 197.*

S. X. Inciderunt præterea illa tempora turbulenta maxime superiori & hoc nostro seculo, ubi salus publica desideravit ventilationem quæstionis satis arduæ quidem, interim valde necessariæ; *num Imperator & Imperium bellum genens contra hostem communem, munimentum circa confinia hostilis Regni situm in solo pacato, si vereantur, ne hostis illud invadat, & inde irreparabilia damna toti Imperio inferat, invito Domino occupare possint?* Equidem hanc quæstionem affirmare nullus dubito ex Principiis Politices, licet vel nulla Lex Imperii, aut conventio desuper facta esset. Cum enim salutem publicam promovere, & damnum imminens a Republica avertere, inter potiores curas ad gubernacula Imperii sedentium merito connumeranda sit, prono exinde alveo fluit, melius esse, minus potenti Domino & qui non satis virium castrum suum defendendi habet, etiam invito eripere illud munimentum, quam permittere, ut postea in potestatem hostium transiens excursionibus & devastationibus sat magnus tractus Imperii misere exponatur. Plures rationes eodem tamen recedentes, cumulat Boxhornius in *Disquisit. Polit.* dum disceptationem instituit de casu, ubi Batavi superioribus Seculis, Seren. Electoris Brandenburg. munimenta Clivensia ad fines suos



suos tegendos, proprio praesidiario milite insidebant. Unde concludere licet, quod Princeps alterius vicini Principis (ipsi nullo quidem nexu clientelari obligati, sed impotentis tamen) munimentum occupare possit salva iustitia, ad defensionem suarum Provinciarum, ne a potentiore hoste occupetur; quando magis vero Imperator & Imperium hac potestate hoc casu gaudebit in Sratuum infirmiorum, sed hosti vicinorum, munimentis. Cujus rei exemplum & superiori, & ni fallor praesenti Belli Germano Gallico in *Reinselsa* conspicitur, Imperatoris & Sociorum copiis & praesidio firmata, cum hujus castris Dominus isti contra Gallos defendendo manifeste impar deprehensus fuerit. Ubi tamen illud temperamentum tanquam aequius & humanius lubens admittitur, quod, si periculum cessaverit, nec toti Imperio quid periculi inde immineat, pristino Domino plene restituendum sit.

§. XI. Nec obstat huic assertioni, quod juxta *Instr. Pac. art. Gaudeant. 8.* Status ipsi potestatem acceperint, munimenta condendi, & sic videatur, quod hic Imperatori nihil amplius potestatis indulgeri debeat. Nam non negamus, Statibus potestatem munimenta condendi, & pro errore supino habemus opinionem contrariam *Coleri de Jure Imp. Germ. sect. 26.* *Arnisaei de Jure Maj. lib. 2. cap. 5.* *Stamleri de Reservat. imperat. §. 62.* aliorumque. Ast exinde non consequitur, quod illis, qui suprematu non gaudent, hoc est exercitibus, foederibus, gvarantiis non sunt instructi, & sic viribus destituuntur, sua defendenda debeant relinqui, quo praedae hostium cedant. Nec enim convenit, Leges Imperii ita explicare, ut impingat in Politicam & sanam rationem, tunc enim illae Leges, quae in salutem Imperii latae sunt, vergerent directo in ejusdem dam-



damnum. Interim concedimus libenter Grotio *de Jure Belli & Pac. lib. 2. c. 2. §. 10.* quod hoc casu periculum debeat esse certum, non vero imaginarium, præterea nihil debeat occupari, quod non ad cautionem sit necessarium, puta loci custodiam, relicta Domino Jurisdictione & fructibus cum omni emolumento, & denique (uti jam temperamentum adjectum) animus reddendæ custodiæ, simulatque necessitas illa cessaverit, non excludendus est, vid. B. Ziegler. & Dn. Henniges *in not. ad dict. Grotii loc. B. Fritsch. de Jure Præsidii c. 3. n. 2.*

§. XII. Cæterum cum Principes ac Status nostri Imperii eandem, imo majorem potestatem habeant, quam Imperator in Imperio, ob Superioritatem Territorialem, conf. *integram Diss. de Axiomate, quod Principes idem possint in suo Territorio, quod Imperator in Imperio, quæ extat inter Diss. Juris Publ. a B. Fritschio collectas vol. 2.* oppido exinde liquet, quod, casu necessitatis, etiam subditorum suorum bonis immobilibus, attingentibus fines Provinciarum suarum, uti possint sæd communem defensionem ingruente vi hostili. Atque hoc est *Dominium* illud *eminens*, quod quoad vocabulum a nonnullis magis exploratum est, quam quoad rem ipsam. conf. B. Dn. a Pufendorf. *de J. N. & G. L. §. c. 5. §. 7.* ceu ex lite (tandem in vanam logomachiam degenerante) Wittenbergensium cum Johanne Friderico Hornio, Dominii Eminentis non inepto Defensore patet. Hoc vero *Dominium* nec Principibus ac Statibus denegabit, qui mensuram Superioritatis Territorialis, omnia fere Majestatica jura adæquantem, & solo duntaxat nomine ab ea differentem, exactius secum reputabit. Valde vero superficialiter in Politicis versati sint, necesse est, qui exinde, cum Hornii adversariis, Leysero, & aliis Wittenbergensibus Jctis, eo  
tem



56 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

tempore, nescio quem characterem tyrannidis exculpi posse, sibi persuadent. Nam ipsa vis Imperii propter salutem publicam instituti, sufficientem Principi titulum præber, urgente necessitate utendi subditorum bonis, eo quod omnia simul concessa intelligantur, sine quibus obtineri bonum commune, nimirum securitas & tranquillitas omnium, haud potest. Equidem naturalis æquitas suadet, quod, si ad communem quampiam rem conservandam ab iis, qui de eadem participant, conferendum quid sit, singuli ratam duntaxat partem conferant, nec unus præ cæteris graviter oneretur. Sed sæpe sunt ea rerum tempora, ut urgens Reipublicæ necessitas non admittat, ratas partes a singulis colligere, vel certæ quæpiam res unius aut paucorum Civium ad necessarios usus Reipubl. requirantur, tunc poterit summum Imperium eam rem publicis necessitatibus adhibere, ita tamen, ut, quod ratam partem Domini excedit, civibus aut Principi postea refundendum sit. add. Dn. a Pufendorf. *l. 1. & omnino Boeckl. ad. Grot. de J. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 6.* ac Dn. Becman. *Meditat. Polit. Diff. 21. §. 8.*

§. XIII. Ex eodem fonte prono alveo fluit defensio & auxilium, quod ad defendendam Remp. subditi præstant Domino suo. Vocatur hoc jus Principis, ex more & stylo antiquo, die Heers-Folge, quam una cum aliis speciebus, v. c. Feur-Folge, Gerichts-Folge, explicant latius B. Fritsch. *de Jure Lustrationis & sequela. cap. 5. n. 1. B. Dn. a Seckendorf. im Fürsten Staat P. 2. c. 10. §. 8. seq. a. pag. 247. usque 252.* Sequi vero tenentur subditi Dominum, non solum usque ad extremos fines Territorii sui, sed etiam extra Territorium, Knipschild *lib. 22. c. 22.* D. Vitriarius *J. Publ. lib. 3. tit. 19. §. 55. 56.* Nec solum si patriæ defensio hoc exigit, sed & si Dominus pro vindican-



dicanda injuria vel recuperandis terris ad se pertinentibus jure bellum suscipere cogatur. add. *Rec. Imp. de ann. 1546. §. Ferner diemeil &c. Klock. de Contrib. c. 2. n. 64.* Verum hæc sequela antiquum modum defensionis maxime spectat, ubi scilicet Principes & Status proprio ærario, & sic etiam perpetuo milite carebant. Verum cum hodie aliter Status sese habeat, & tantum exigatur loco tributi a subditis, ut miles conscribi possit, non opus amplius sequela subditorum in bene ordinatis Rebus publicis & Principatibus. Conf. Myler. ab Ehrenbach *de Stat. Imp. c. 75. §. 4.* nisi forsan extremus necessitatis casus ingrueret, ubi quilibet ad arma idoneus ad Patriam defendendam a Domino cogi posset; aut saltem loco personalis comparitionis (quia cum istiusmodi inexercitatis militibus parum prospere res geri possit) ad certam & extraordinariam pecuniæ summam præstandam obligatus esset; quod eo lubentius quilibet præstabit, quo satius est, partem bonorum, quam omnia perdere.

§. XIV. Ubi tamen jus sequela & huic similes modi in usu sunt, ratione sumtuum non minima oriri solet difficultas. Regulariter a Principe subditis militantibus annonam præstandam esse, contendit Vitriarius *all. loc. §. 50.* & quidem ex eo fundamento, quod nemo ex propriis sumtibus militare præsumatur 2. *F 107.* Verum hæc ratio cum imbecillis sit, merito adjicit laudatus modo Vitriarius, quod consuetudo loci attendenda sit, item pacta conventa. Bocer. *de Jure Dom. & Vasall. l. 1. c. 7. n. 15.* Juxta Carpozivium vero *Jurispr. For. P. 3. Const. 28. def. 18. n. 11.* giebt der Herr seinen Lehn-Leuten, wenn sie bey ihm ankommen sind, und mit ihm ziehen, Futter, Mahl und Huffschlag. conf. Francisc. Balthas. *de operib. rust. cap. 3. B. Dn. a Seckendorf, harum consvetudinum peritissimus, accuratissimus incedit, all. lib. p. 251. distinguendo, an ex-*



## 58 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

*tra fines* Territorii ducantur subditi, an non? priori casu alimenta iis assignare æquitas jubere ipsi videtur, cui lubentes suffragamur.

§. XV. Inprimis vero Nobiles & Vasalli ad servitia tempore Pacis & Belli Domino sunt obstricti. Vocantur hæc servitia *Ritter-oder Lehn-Dienste*, 2. F. 28. & consistunt tempore belli in armis equisve, *Ritter-oder Lehn-Pferde*, vid. *Illust. Dn. de Rhetz Com. ad 1. F. 21.* quæ servitia ut plurimum determinata sunt jam in Investitura, daß er das Lehen mit ein, zwey oder drey Ritter-Pferden bedienen soll, add. *Kohl. de Servit. Feud. P. 4. n. 59.* P. Heigius P. 1. *Quæst. Illust. q. 18. n. 12.* Gothofr. Anton. *Diss. Feud. 7. rb. 3. tit. C.* Aestimatio autem hujus Equestris servitii barbaro vocabulo alias *Adoba* dicitur, de quo vid. Anton. Capyc. Neapol. *Decis. 32. num. 34.* & Jac. de Aeyell: *JC. Spec. Tract. de Jure Adobæ, Relevii & subsid. conf.* *Illust. Dn. Stryk Diss. de Vasallo Deservore c. 1. n. 8. 9. seq.* Cæterum cum hodie Principes ut plurimum regulari ac ordinaria militia instructi sint, hi Equites in casum necessitatis a Vasallis instruuntur pro rata, & quoniam extra Provincie fines inviti non ducuntur, haud raro inutilis est iste Comitatus, hinc solet a Domino loco horum servitiorum certa pecunie summa exigi, postea in salutem & defensionem Provinciarum impendenda.

§. XVI. Ex illis itaque, quæ jam allata sunt, & illa quaestio dictionem suam accipit. Nimirum, *An Conventus sive Diætæ Provinciales, Germanice, die Lands-Tage, extra fines Principatus institui possint?* Attingit quidem hanc quaestionem Ahasverus Fritschius in *Diss. de Conventib. Provinc. Cap. 5. §. 6.* illamque negative decedit, verum nullis stipatus rationibus, sine quibus tamen arduam quaestionem tractare, oleum & operam perdere est. Placet.



cet itaque nudam hanc Fritschii assertionem sequentibus fulcire rationibus. Scilicet illud gnari rerum Germanicarum facile concesserint, Comitiam Statuum Provincialium esse fulcra Imperii, vel Regiminis moderati exerciti, & ubi illa vigent, populum satis indigere, quod non sit despoticum aut absolutum Imperium æquo animo patitur. Hinc imprimis Germani, utpote libertatis retinentissimi, ab omni seculorum memoria, tenaces fuere moris, ut res ad totius Provinciae incolumitatem spectantes, deliberatio ordinum populorum representantium præcederet. De Bajoaria hoc testatur prolixè Aventinus *lib. 4. annal. Bajoar.* De aliis Provinciis testatur id quotidiana experientia; in quibus potissimum triplicis Ordinis personarum ad hæc deliberationes vocari solent. Nimirum *Prælati, Equites* sive Nobiles & *Civitates representantes.* conf. Dn. Strykii *Diff. de Statibus Provincial.* Mylerus ab Ehrenb. *de Stat. Imper. cap. 45.* Befold. *in Thes. Pract. v. Land: Täge.* Dum itaque graves hæc Conventionibus causæ in disceptationem veniant, & quidem intuitu Provinciae, quam representant, extra illius fines illos vocare, sicque sumptus in ipsorum sustentationem impendendos multiplicare, citra gravem causam, regulam sanam politices haud permittunt. Accedit, annotante hoc illustri Dn. Ludolpho Hugone Vice-Cancell. Hannoverano, *Tr. de Regim. Stat. Germ. cap. 4. §. 28.* quod Provinciales Conventiones, Imperii Comitibus assimilentur, Comitiam vero extra Imperium indicare Imperatori fas non est, fatente hoc nemine non Juris Publici Doctorum. vid. Arumæus *de Comit. cap. 5. n. 36.* Et hæc fuit etiam causa, cur tempore Lutheri Status Evangelici urgerent liberum Concilium intra fines Germaniæ habendum, de qua re conf. Paul. Sarpitii *hystor. Concil. Trid. l. 1.* Scilicet quia majori liber-



## 60 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

libertate res salutem Provinciae concernentes intra fines Provinciae deliberari possunt, quam si in alienis locis habendum sit sapius spem inter metumque. Quamvis vero hae rationes suppetias ferant generali huic quaestioni a Fritschio negative decisa; interim tamen illud adhuc monendum paucis est, quod observantia possit alicubi locorum contraria introducta esse, quae, cum in ejusmodi rebus legem faciat; sequenda est. Sic consuetudine inolevit, quod in Electorali Saxoniae pleraeque Diatae provinciales Dresdae, Sede Electorali, habeantur, quamvis interdum Lipsiae, Torgavii, &c. instituta legantur. conf. Fritsch. *loc. cit. cap. 5. §. 4.*

§. XVII. Caterum Dominus Provinciae aut Territorii intentionem fundatam habet in personas & res Territorio septas & inclusas, was mit denen Landes-Gränzen umschlossen, Adr. Gylmann *Symphor. Cameral. Tom. II. P. 2. vot. 1. n. 70. 113.* quo & Romano-Catholici Doctores ad sua Monasteria extendere non verentur, ut etiam illa in Territorio videantur esse apud Knipschild. *de Civitat. Imperial. lib. 2. c. 5 n. 77.* apud Protestantem vero nullum dubium hac de re est, hinc qui exemptionem in Territorio allegat, eam, nisi in possessione immedietatis sit, probare debet. *Besold. Conf. 238.* Igitur quae ad conservacionem Provinciae faciunt, illa Dominus ad extremos usque fines terrae suae ordinare potest. Hinc si bellum ingruat, & in finibus Provinciae Nobilis castellum possideat, unde ingruenti hosti valide resisti potest; Princeps etiam invito possessore illud ingredi armata manu, praesidium ibi collocare, & si natura loci respondeat, novos aggeres, novaque munita ibi extruere valet, idque vi Domini supereminetis, quo Princeps tempore necessitatis gaudet in omnium subditorum bonis mobilibus & immobilibus, de qua re supra jam actum



actum est §. 12. Interim tamen æquitas svadet, ut possessori æquivalens ad refarciendum damnum detur. Unus enim ex civitate pro salute omnium bona sua ut amittat, valde iniquum est, cum communis salus communibus opibus etiam sustentanda sit. Conf. Grotius de *J. B. & P. lib. 1. c. 1. n. 6. & l. II. c. 14. n. 7. & ibi in Annor. ad priorem locum Boeclerus, Bodinus de Rep. L. 9. n. 103.*

§. XVIII. Dubium vero valde & perplexæ disquisitionis est, si flumen fines constituat inter duo Territoria, ita ut ad utrumque Dominum dimidia pars fluminis pertineat. Quid enim si insula, quæ olim intra medietatem fluminis existit, & sic ad Territorium ejus, cujus sunt ripæ, transfluvium pertinuit, postea per alluvionem adversa ripæ accedunt, flumine paulatim recedente. Ex hoc casu resultat quæstio, a præsentis instituto non aliena, hinc nec pleniori discussione indigna. Quæritur enim, *an illa insula vi fluminis ad Territorium novum accedens, in Domini illius Territorii potestatem deveniat, ut Nobilis, qui illo investitus est a Domino priori, illa insula possit privari?* Videtur quæstio hæc affirmanda esse, quia illa insula per alluvionem prioris Domini exempta, contra vero Territorio novo adjecta est. Igitur prioris Domini concessionem vel investituram, aut quemvis alium titulum ad dominium insulæ in alium transferendum habilem expirasse. Etenim pernotissima principia juris: nemo in alium plus juris transferre potest, quam ipse habet *Cap. Nemo potest. 795. de R. J. in 6. Cæsar. Argel. de Contrad. legit. qu. 9. n. 58. Job. a Sesse Decis. Arragon. Decis. 188. n. 15. & cessante jure cedentis, jus Cessionarii quoque cessat. Steph. Gratian. Discept. Forens. tom. 4. c. 777. n. 6. Surd. Conf. 162. n. 31. Accedit, quod insula in flumine subjiciatur ejus Jurisdictioni, cujus est flumen. l. ult. C. de Alluvion. Bapt.*



62 CAP. III. DE JURE LIMITVM PROVINCIALIUM

Aymus *Tr. de Alluvion. L. 2. c. 6. n. 1. & ibi Dn. Frisfch. in Nor. P. Heigius Quæst. Illustr. P. 2. integr. qu. 40.* Verum hiæ rationibus non obstantibus, verior est opinio, quod ille, qui legitime a priori Domino, Dominus utilis insulæ vel partis est factus, non possit a novo Domino illa insula jure privari. Neque enim debent confundi hoc casu Superioritas Territorialialis, & Dominium speciale. Illa acquiritur Domino fluvii, ad cujus ripam pervenit insula: hoc vero manet penes Dominum, qui illa insula investitus est.

§. XIX. Egregie hæc illustrantur *Responsio Illustr. Fac. Jurid. Hallensis, adducto ab Excell. Dn. Bodino in Disp. X. ad Dn. de Rherz Instit.* quod ita conceptum est: Was aber die dritte Frage anlanget, so möchte aus eben iezo angeführten Gründen davor gehalten werden, daß ob gleich die obgedachte Insul also gemähl. ihr Lager in dem Flusse verändert habe, dennoch dieselbe communi alluvionis jure sub eadem Territoriali Jurisdictione verbleiben müsse, worunter sie anfangs entstanden. Allein daferne in der Gegend dieser gelegenen Insul der Fluß, in welchem selbige gelegen, die Gränz: Scheidung zwischen Herr Ferdinandi Alexandri, und Herrn Casimiri Gilberti Landen unstreitig machet, (wie wir aus specie facti abnehmen, welches insgemein ar. cificinium genennet wird) solchenfalls ist nach verändertem Lager der Insul der Herr Casimirus Gilbertus desjenigen, was von der Mitte des Flusses gegen seine Seite befindlich, ratione Superioritatis Territorialialis sich anzumassen wohl befugt. *L. 1. §. 6. ff. de flumin. L. 30. §. 3. ff. de Acqu. Rer. Domin. Hugo. Grot. de Jure B. & P. lib. 2. c. 2. n. 16. Gryphiand. de Insula cap. 11. sequ. Oetting. de Jur. & Contror. Limit. l. 2. c. 3. n. 7.*

§. XX. Unde satis clare patet, Jurisdictionem Territorialelem



rialem jus domini privati hoc casu minime tollere. Nec moveri possunt in contrarium rationes dubitandi in §. 16. allata. Sufficit enim, quod possessor insulae eo tempore dominium acquisivit ab illo, qui verus & supremus Dominus insulae fuit. Hinc illa mutatio per alluvionem facta in flumine semel legitime quæsito dominio privato nil præjudicii inferre potest, quemadmodum nec flumen, quod alicujus agrum ita circumfluxit, quod ex illo insula facta sit, causam proprietatis non mutat, sed ager prioris Domini permanet. §. 22. *J. de rer. Div. l. 30. §. 2. ff. de acq. rer. dom.* Quando vero adstruitur a supra adductis Autoribus, quod insula in fluvio pertineat ad Dominum fluvii, tunc illud ratione Superioritatis Territorialis intelligendum est, quia nil verat, illam plene Domino fluvii quoad Superioritatem & utilitatem adscribere, quo & collimat Carpzov. *Jurispr. For. P. 3. Const. 31. def. 13.* Quamvis enim Jure Civili insula in flumine nata adscribitur Dominis agrorum prope ripam istius fluminis §. *Insula 21. l. de rer. div. l. 7. §. 3. ff. de acq. rer. dom.* Attamen de moribus hodiernis communiter testantur Dd. quod insula Principi acquiratur. Hujus enim cum flumen sit, per consequens etiam ea, quæ in flumine nascuntur, ipsi debentur. Ita de *Insulis Rheni* testatur Noe Meurer in *Sagd- und Forst-Recht P. 5. fol. 102.* Insulae *Albis*, quatenus Electoratum Saxonicum transit; ad Electoratum Saxoniam spectant, vid. Ziegler. *de Jure Majest. lib. 2. cap. 15. §. 27.* quatenus autem Electoratum Brandenburgicum *Albis* tangit, eatenus Elector. Brandenburgicus, cujus ibi flumen est, illas insulas sibi vindicat, Exc. Dn. Jo. Sam. Stryk *de Jure Cataract. c. 2. §. 14.* vid. Ziegl. *de Jure Majest. l. 2. c. 15. §. 27.* Itaque si & insula in flumine, limites Provinciales constituyente, nasceretur, par decisio de illo



## 64 CAP. III. DE JURE LIMITUM PROVINCIALIUM

illo formanda est. add. Rütg. Roland. *de Commissar. Part. 4. l. 2. c. 12.* Solent tamen Principes, Nobiles vel Civitates de insulis investire, Sie werden mit denen Inseln oder Werdern belehnet. Conf. Struv. *Synt. lur. Civ. Exerc. 4. ib. 30.*

§ XXI. Præterea si novus tractus terræ Provinciæ alicui adjiciatur & uniatur, pristinique limites Provinciæ istius Principis quidem extenduntur una cum Superioritate Territoriali, interim tamen junctus ille tractus terræ vel comitatus, qui accessit ad corpus reliquum, pristina sua jura retinet salva, neque isti in dubio subjicitur. Klock. *L. 1. Conf. 10. n. 543.* Vietor *de Exemt. Concl. 18.* Losaus. *de lure univers. P. 3. c. 14. n. 5.* Unio enim propterea facta censetur, ut uni Principi pareant, & ab eo commodius regi possint, salvis de cætero utriusque privilegiis. Cothman. *lib. 2. Conf. 85. n. 6.* Notabilem de hac unione Provinciarum casum suppeditat B. Brunnem. *Cent. II. Dec. 55.* qui ventilatus fuit inter Prælatos Ecclesiæ Cathedralis *Caminensis*, & Canonicos Collegiæ Ecclesiæ *Colbergensis*. Penes hos in Comitibus Provincialibus directorium erat ratione certi tractus vel Territorii, quod separatum continebatur in interiori Pomerania, in quo directorium gerebant Prælati Ecclesiæ Cathedralis. Unctis hisce Territoriis quærebatur, an Canonici Ecclesiæ Collegiæ C. in Conventibus publicis totius Provinciæ ab omni Directorio sint seclusi? Recte hoc negatum est *in all. Dec. 55. ubi in fine n. 7.* vel condirectorium, vel alternatio adjudicata est. Atque hoc eo magis cum regulis justitiæ convenit; quo clarius apud Doctores extra dubitationis aleam posita est regula; quod quando Ducatus, Comitatus, Baronia alteri Ducatui, Comitatus aut. Baroniæ eatenus jungitur, ut per se nihilominus consistat,



listat, pristina sua jura & consuetudines retineat salvas; nec secundum consuetudines ejus Provinciae jungitur; sed secundum pecularia sua jura & mores judicetur. conf. Frider. Pruckman. *Vol. 1. Consil. 27. num. 11. & 90.* Confirmat hoc ipse Episcopatus olim, nunc Principatus Caminensis. Notum enim est, quod hic vigore *Instrument. Pac. Osnabrug. Art. XI. §. 5.* sit secularisatus, ac sub nomine Principatus Electori Brandenb. & Successoribus suis in feudum perpetuum ab Imperatore & Imperio concessum, ac juxta Recessum provincialem Stargardiae D. 11. Jul. 1654. habitum, Ducatui Pomeraniae ulterioris incorporatum, qui tamen propterea antiquos limites & jura independentia haud amisit.

§. XXII. Restat, ut videamus judicia, in quibus controversias limitum Provincialium ventilari juris est. Nimirum si hoc casu inter subditum & Advocatum Fisci nomine Principis res agatur, forsitan, quod limites dolose sint corrupti, Processus coram Judicio Supremo, a Principe in illa Provincia constituto, instituendus est, ubi tamen more consueto, in causis Principem & subditos concernentibus, Consiliariis Principis remissio obsequii sit, *sie werden ihrer Pflicht, was diese Sache anlanget, erlassen.* vid. Dn. Praesid. *Diss. de Appel. Rescripto Principis remota Cap. II. §. 16.* Si vero ob amplitudinem Provinciae peculiare Ministri Regimini & vicissim alii Dicasterio Praefecti sint, causae limitum Provincialium, utpote Politiam spectantes potius ad istud, quam hoc spectant. Atque ita dispositum etiam est in *Ordinat. Dicast. Pomeraniae Regio-Policeae. Tit. Was Sachen an unserem Hoff-Gerichte anzuhömen 31. §. 3.* ibi: Die Supplicationes, welche Land-Policey-Lehen, Confirmationes Privilegiorum, Contributiones und andere Regierungs-Sachen, dann auch unse-



66 CAP. IV. DE JURE FINIUM PROVINCIALIUM,  
re und nachkommender Herrschafft Landesfürstl. Jura Regalia und Hoheiten, Gemeine Landes-Grängen, und Statum Provinciae Publicum concerniren, sollen an unserm Hoff-Gericht nicht angenommen, sondern an die Regierung verwiesen werden. Quod si vero lis inter duos Principes de limitibus Provinciarum sit, forum eorundem cum reliquis controversiis huc pertinentibus, sequenti capite tradituri sumus.

CAP. IV.  
DE  
JURE FINIUM PROVINCIALIUM  
INTUITU EXTERORUM.

SUMMARI A.

**N**ecessitas hujus capitis ob intersectiones Territoriorum  
in Germania §. 1.

Exempla ibid.

Transitus per nostros fines an debeatur exteris. §. 2.

Quid inter Principes Imperii hoc casu juris sit. §. 3.

Causa, cur transitus militum sint odiosi. ibid.

Electores ad Electionem Imperatoriam proficiscentes, etiam  
ultra limites Provinciales sunt conducendi. §. 4.

An adhuc in usu hoc Caput A. B. negat. ib.

Si caedes in confinio perpetrata quis Judex? §. 5.

Variae sententiae Doctorum rejiciuntur. ibid. ut §. 6.

Quid juris, si in finibus unius Territorii delictum inchoatum,  
in altero vero consummatum sit. §. 7.

Flumine inter vicinum populum cursum mutante, an eo ipsi  
fines Territoriales mutantur. §. 8.

Flumina in finibus Territoriorum plerumque ad utriusque ri-  
pa Dominum spectant pro dimidia parte. §. 9.

Hoc



*Hoc tamen non perpetuum est, sed exempla sunt, ubi flumina integra in finibus ad unum pertinent. ibid.*

*Flumen arcefinium, seu ad duos vicinos spectans, alveum mudando, an mutet fines Territorii. §. 10.*

*An sumine finium communi, invito altero Cataractæ possint extrui. §. 11.*

*Quid hoc casu juris, si insula in fluvio tali sit. §. 12.*

*Princeps in flumine suo fines constituens, libere omnia peragit, licet vicini damnum inde sentiant. §. 13.*

*An mare Domini sit capax & finium. §. 14.*

*Forum Principum de Limitibus litigantium. §. 15.*

## §. I.

**C**Apit hoc præsentis materiæ annectente eo magis conducit, quo clarius est, quod Territoria & Provincia Germanicæ sæpius diversos Dominos agnoscant, & hoc intuitu non possint non variæ circa limites oriri disceptationes. Non enim est novam, ut una Provincia sit *Stwey, Drey, oder mehr Herrich*, prout exemplum occurrit in Civitate *Ratisbonensi*, quippe in qua quinque Status Imperii sedem & Jura habere, Publicistæ passim tradunt. Nimirum (1) Episcopus *Ratisbonensis* (2) Abbas *S. Emerami*, (3) Abbatissa in *Ober-Münster*, (4) Abbatissa in *Nieder-Münster*, (5) ipsa Civitas Imperialis *Ratisbona*. vid. *Burgoldensis* sive *Oldenburgerus ad Instr. Pac. P. 1. Disc. 22. §. 1.* Hinc discriminis gratia illa territoria, in quibus multi Domini cum Superioritate, *gemengte Territoria*, illa vero, ubi unicus imperat, *geschlossene Territoria*, vocari solent. conf. *Brukneri Diss. de Particul. Terriz. sub in feud. cap. 1. §. 2.* Enim vero si, lis inter vicinos Territorii, in quo multi Domini, de probatione limitum suarum *Ditionum* oriatur, illam, juxta normam, *Cap. II. traditam*, definire



## 68 CAP. IV. DE JURE FINIUM PROVINCIALIUM

finire par existimo. Ast sunt & alia capita disceptationum, quæ intuitu Limitum Provincialium cum exteris & vicinis intercedere possunt, quæque nunc enumeranda veniunt pro instituti ratione.

§. II. Quamquam vero quilibet Dominus in suo Territorio, quousque limites ejus pertingunt, alius Principis potestatem agnoscere ibi non teneatur, nihilominus tamen suadet sana sociabilisque ratio, ut liber populus alii libero populo usum provinciarum suarum innoxium exhibeat, v. c. ut merces per illius Territorium & fines transvehantur. confer. Grot. *de J. B. & P. lib. II. cap. 2. §. 14.* Oritur vero inde quæstio illa ardua, nec minus frequens, *an Princeps transitum militum per ipsius Territorii fines potenti alteri Principi vel Reip. jure denegare possit?* Equidem, si de Principibus plane liberis quæstio formetur, cum illi nullo alio jure, quam naturæ obligati sint, ex hoc Judicium erit formandum. Existimat vero Grotius all. cap. II. non obstante metu ex transitu istiusmodi exercitus imminente, transitum concedendum esse, ob eam rationem, quod in divisione rerum, qua communio primæva abolita, & Dominia rerum distincta fuerunt introducta, universi intelligantur sibi recepisse talem usum rei alienæ, qui indigentibus prodest, Dominis non nocet: adeoque talem usum, qui eo indigent, suo jure posse postulare. *vid. §. ejusd. 6.* Verum non desunt argumenta, quæ transitum mero Jure Naturali, citra pactum aliquod aut concessionem, non deberi evincant, quæ tradit Pufendorf. *de J. N. & G. L. 3. c. 3. §. 5.* Ceterum, si Praxin respicimus, petitio transitus cum confidentia & modestia, & ejusdem denegatio vel concessio dependet a potentia, & prout cujusque vires sunt, a quibus simul etiam noxia transitus derivanda est; quamvis semper



semper de Jure Naturæ ille transitus ex lege humanitatis innoxius esse debeat. Exemplum modesti & innoxii transitus Israelitarum per fines extremos Idumæorum, legitur *Deut. II. 1. seq.* Conf. Dn. Strykii *Diff. de transitu militum.*

§. III. In nostro autem Imperio, uti Principes vi Superioritatis Territorialis gaudent potestate milites conferribendi, ita eosdem per alterius Con-Status Territorium ejusque fines ducere licet, observatis tamen requisitis, in pactis publicis stabilitis. Nimirum debet transitus militum per alterius fines Territoriales decenter peti a Domino Territorii; dein exercitus in modicas copias divisus transmittendus est. Sumtus suppeditat ille, ad quem milites transeuntes pertinent, hinc Domino Territorii de omni futuro damno resarciendo cautio præstanda est idonea. *Rec. Imp. de anno 1603. ff. Was sich den Churfürstl. Instr. Pac. art. 17. quoribus autem milites.* Fritsch. *de Transitu militar. cap. 8. n. 7.* Recte interim Dn. Schwederus *Jur. Publ. part. spec. sect. II. cap. 16. §. 12.* subjungit: *est vob! quis hodie Legum saluberrimarum contemptus. Neglectæ sunt hætenus omnes hæc provida cura conditæ Constitutiones.* Ubi etiam in causas hujus mali inquirit, quas merito in defectu stipendiorum, aut, si stipendia solvantur, & in avaritiam Præfectorum & Officialium militiae, illa in proprium commodum vertentium, rejicit, cum experientia quotidiana hac in re calculum suum ipsius testimonio adjiciat. Ad hæc itaque mala, quæ transitus per alterius fines comitari solent, evitanda, tum & efficiendum, ut militibus stipendia rite recteque solvantur, conducit Consilium Cardinalis Richelii sequi; de quo *Autor de la vie du Cardinal Duc de Richelieu Tome premiere pag. 367.* Elegantem observationem prodit: *Pour remedi-*



## 70 CAP. IV. DE JURE FINIUM PROVINCIALIUM

er, inquit, a ces inconveniens (defraudationis scilicet stipendiorum) il donna ordre, que l'on feroit faire montre au Troupes tous les huit jours, & donna a chaque Regiment un Commissaire, qui paye lui même les soldats, & qui prenoit garde, qu'il n'y eut point de Passe volants. Ain si le Cardinal sçavoit tous les semaines le nombre des Troupes, & l'on ne payoit, que ce, qui estoit actuellement dans le Camp. &c.

§. IV. Peculiare porro est, quod Electoribus & reliquis Statibus in *Aurea Bulla* Cap. I. injunctum sit, conducere Electorem proficiscentem ad locum Electioni Imperatoriae destinatum, vel eorum Nuncios, quos ad Electionem transmitterint. Neque solum hoc conducendi onus usque ad Territorii fines semet extendit, sed ut §. 2. *cit. cap. 1.* clare disponitur, per *Territoria sua & alias, quanto possunt remotius.* conf. *Limnaeus in Comment. ad A. B. b. l. Boecler. in Conductore Carolino.* Verum consideremus, quod eo tempore Status turbulentissimus & Anarchicus in Imperio fuerit, & demum securitas publica itinera per Germaniam instituendi, a Pace Publica per Maximilianum I. sancita repetenda, & sic Status Germaniae in melius mutatus sit, mutavit ille simul dispositionem hanc *A. Bullae.* conf. *Exc. Dn. Thomastii Diff. de Contentione morum cum Jure scripto §. 66.* Constat enim hodie inter omnes, quod talis conductus non usu sit abrogatus ob manifestam securitatem viarum, quemadmodum & multa alia *Capita A. Bullae* tacite sunt abrogata, ceu id demonstravit *Dn. Praeses pec. Diff. de Mutatione Aureae Bullae.*

§. V. Caterum quoad externos & subditos alterius, illud quidem notum est, quod quamdiu sint in aliquo Territorio, Juribus illius semet conformes gerere, & secundum illa vivere debent, sicque subditi illius temporarii sunt, quamdiu scilicet in illa ditione commorantur; Ast non æque



æque convenit inter Dd. quid juris sit, si cædes aut aliud maleficium in confinio sit perpetratum, ita, ut non proprie constet, in cujus ditione sit commissum, ad quem hoc casu spectet cognitio causæ. Sunt nonnulli, qui ei adscribunt potestatem cognoscendi, in cujus Territorio Caput est repertum. vid. Zanger de *Exception. P. 2. c. 1. n. 238.* Assertionis suæ fundamentum ponunt in *L. 44. ff. de Relig. & sumpt. fun.*, ubi caput pars principalior corporis, humani asseritur. Alii judicare volunt ex eo, ubi cor, seu pars corporis, quæ cor complectitur, reperitur: Fundant se hi subtiliori quodam asserto, quod nimirum cor sit primum in vivendo, & ultimum in moriendo, hinc inferunt, actum, v. c. homicidii proprie consummatum dicendum esse in illo Territorio, ubi cor reperitur. Verum lubrica hæc utraque sententia, dum hisce rationibus innitur. Nam elumbis illa consequentia est: caput vel cor principale membrum hominis est, ergo homicidium in illo Territorio, ubi repertum est, commissum fuit. conf. Bachov. *vol. 1. ad Treutl. Disput. 19. th. 4. lit. A.* Carpov. *Process. Crimin. quest. 110. num. 25. seq.* Berlich. *P. 2. Decis. 62.* ut nihil dicam de dubia fide illius asserti de corde primo vivente, & ultimo moriente, quam Anatomici hodierni vix amplius sint concessuri, quibus tamen rem illam examinandam relinquimus.

§. VI. Haud firmiori talo stat alia sententia, quæ in casu homicidii circa confinia territoriorum commisi illi adjudicat cognitionem, in cujus territorio occisi pedes deprehendantur, quia scilicet præsumendum sit, occisum in illo territorio stetit, cum gladio, vel alio quovis telo confoderetur. Quanquam vero hæc opinio probabilitate sua primo intuitu haud carere videatur, vacillat tamen mox, si consideremus paulo penitius, quod varie jacten-



## 72CAP. IV. DE JURE FINIUM PROVINCIALIUM

jaſtentur moribundi, & rariffime contingat, ut citra ul-  
lam agitationem, aut motum vulneratum, corpus recta  
procumbat, aut protinus corruat, conf. illuſtr. Dn. Stryk.  
*de Jur. Senſ. Diſp. I. Cap. I. num. 19.* Imo ab ipsis occiden-  
tibus in alium locum transferri cadavera, præſertim ſi  
in confinio ſit, haud raro ſolent, quo ob lites de com-  
petentia jurisdiſtionis oriundas, eo citius effugiendi an-  
ſam conſequentur; ut adeo elumbem pedum ſitus præ-  
beat conjecturam. Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. D. 19. th. 4.*  
Igitur miſſis hiſce ſententiis, hoc caſu potius præven-  
tioni Judicum potiores partes assignamus. Nam ſi ita  
ambiguum ſit, quis ex confinantium territoriorum Do-  
minis legitimus ſit Judex, ad utrumque hoc ſpectabit,  
& ſic præventioni locus eſt, add. Carpzov. *loc. alleg. Zie-  
gler. Diſſ. de Remiſſ. Delinquent. ad locum delicti §. 17.* Ve-  
rum ſic novum dubium ſubnaſcitur. Quid enim ſi Do-  
minorum alter maleficum citavit, alter vero apprehen-  
dit? Reſp. Apprehenſio hic præferri meretur. Nam Cap-  
tura eſt realis Præventio, & præfertur ſic anteriori verba-  
li, hinc ille poteſt ſententiam exequi. add. Anthon. Mat-  
thæi *de Crimin. de Accuſat. cap. 5. num. 7.*

§. VII. Non abſimilis decifio capienda eſt in caſu, ſi  
quis in finibus territorii delictum inchoavit, aſt in altero  
territorio conſummavit. Exiſtimant enim haud pauci  
Dd. allegati a Brunnem. *in Proceſſ. Inquiſit. cap. 3. num.*  
*14. & ad L. 1. C. ubi de Crimin. num. 12.* quod Dominus  
territorii, tam inchoati, quam conſummati delicti, com-  
petens Judex ſit, & locum præventio habeat. Cui ſen-  
tentia adſtipulari videtur *Lex 1. Cod. ubi de Crimin.* per  
verba: *ubi commiſſa vel inchoata.* Poſterius enim verbum  
cum Weſenbecis *de delicto*, non vero, citra abſurditatis  
notam, *de inchoato proceſſu*; intelligi debere, recte con-  
tendit



tendit Brunnem. *in dd. LL.* exemplum ponens de stante in finibus Marchiæ selopeto occidente stantem in finibus Saxoniae, plenius vero hanc sententiam probant Dn. Coccejus *Diss. de Concurrent. Potest plur. Locor. Tir. 3. num. 18.* Leipoldus *Diss. de Concurrent. Jurisd. in Imper. Inter. Dissp. Basileensis.* Quamvis vero dissentiant hoc casu Carpzovius *Prax. Crim. qu. no. num. 18. &c. Respons. 28.* Zanger *dé Exception. P. 2. cap. 1. num. 233.* rationes tamen ipsorum non sunt tanti, ut ad sensum mereantur. Ut ut enim forma delicti loco, ubi perficitur, non vere inchoatur, adscribenda veniat; tamen recte regeritur *in alleg. Dissert. Dn. Cocceji l. c.* quod hic non de forma delicti queratur, sed de potestate loci in delinquentem, qui sub eo territorio fuit, in quo stetit, nam delictum inhaeret personæ delinquentis.

§. VIII. Frequens porro inter vicinos Populos est contentio, quoties flumen cursum mutavit, an simul territorii fines mutentur, cum haud raro contingat, ut inter duos Populos fluvius tanquam terminus interjiciatur. Pufendorf. *de Iur. Nar. & Gent. Lib. 4. cap. 7. §. n.* Ad intricatissimas haec controversias recte adjudicandas Grotius *de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 3.* tria agrorum genera, cum Julio Frontino, distingvit. Nimirum ager circa fluvium aut est *divisus*, aut *assignatus* (qui & *limitatus* vocatur in *L. in agris limitatis, D. de Acquir. Rev. Dom.*) aut *arcifinius*. Ille manufactos limites pro finibus habet: iste per numerum jugerum designatus: hic terminos habet hostibus arcendis maxime idoneos, ut plurimum naturales, puta flumina aut montium supercilia. In duobus primis agrorum generibus, etiamsi flumen cursum mutet, nihil de territorio mutatur, & si quid alluvio adjecit, id occupantium imperio accedet. In arcifiniis flumen mutato paulatim cursu mutat & territorii fines, & quicquid flumen parti alteri adjecit, sub ejus imperio est, cui adjectum est, quia scilicet eo animo Populus uterque imperium occupasse, primitus creditur, ut flumen sui medietate eos dirimeret tanquam naturalis terminus. add. Boeclerus & Zieglerus *ad b. l. Grotii in Annor.*

§. IX. Quod si autem flumen ad unum pertineat populum, sic ut fines huius sint in ripa alterius populi; *Insulae* in flumine natae ipsius solius erunt. *Alluviones* vero ad alteram ripam ap-



posita magis est, ut ad alteram populam pertineant in solidum. Pufendorf *alleg. loc. §. n.* Interim si duo vicini populi terminos voluerunt esse in medio fluvii, ita ut dimidium ad hunc, dimidium ad alterum pertineat; Insula nata in flumine ad illum pertinent, ad cuius ripam proximiores sunt, si vero in dimidio fluvii, ad utrumque ripae Dominum pro dimidia parte spectant. conf. Respons. supra in *Cap. III. §. 18.* allatum. Recte autem contendit Grotius, *l. c. §. 17.* quod in dubio agri populorum circa fluvium arcifinii sint reputandi, hoc est, fines territoriorum ad medietatem fluminis utrinque pertingant, quia Imperiis distinguendis nihil est aptius, quam id, quod non facile transitur. Nam flumen & sine obscuritate fines ostendit, & simul naturale munimentum regioni præterdit. Addatur Cæpolla *de Servitut. Rustic. Præd. c. 31. n. 14.* Hier. de Monte *de Finib. reg. c. 24. n. 9.* Ast id perpetuum haud est. Poterit enim etiam hoc casu unus fluminis Dominus esse, alter vero nil iuris in eodem habere, veluti si flumen jam ab uno populo occupatum sit, antequam alter populus alterius ripae Dominium acquireret, aut quia res pactionibus esse debet definita. vid. Grot. *cit. loc.* & ibi exempla suppeditans Gronov. in *Notis Vitriar. Inst. §. N. L. 2. c. 3. q. 17.* De Rhodano hoc testatur Boerius *Conf. 24. n. 15.* & de Lacu Gardæ inter fines Veronenses & Brixienfes, Cæpolla *cit. lib. cap. 26. n. 9.* Et notissimum est exemplum Albis fluvii, qui paulo inferius ab una parte fines Brunsvicenses attingit, ab altera parte Brandenburgensem ripam habet, & tamen ibi regale fluminis solus, ab immemoriali tempore, possidet Serenissimus noster Rex, Dn. Stryk. *de Jure Cataract. cap. 3. §. 11.*

§. X. Quid autem, si flumen arcifinium relicto uno impetu alveo, diverso plane loco viam sibi ruperit, quæritur, an adhuc fines territoriorum sint in medio fluvii? Respond. Si alluvio sit modica, & particularum terræ talis accessio, decessio, aut immutatio, quæ toti veterem speciem relinquit, remque sinit eandem videri; major in naturali limite commoditas, quam ut propter exiguum detrimentum ab eo discedi debeat. At si totius speciem simul mutetur, & sic veteri alveo penitus deserto alia penitus irruperit flumen, neque ille populus, per cuius agros recens sibi iter fecit, tanti puter insigni terræ suæ parte carere, ut naturalem habeat limitem, deinceps fines erunt in medio



medio deserti alvei. Nam fluvius est terminus populorum, non qua aqua est, sed quatenus tali alveo fluit, talibusque ripis includitur. Sicut etiam si exaruisset flumen, imperii terminus maneret, medietas alvei qui proxime fuisset; quia mens ea fuisse populorum vicinorum, hoc casu censenda est, ut flumine quidem naturaliter dirimi vellent, quodsi flumen esse defuisset, ut tum teneret quisque, quod tenuisset: ita mutato alveo idem observandum erit. Conf. Grotius *l. c.*

§. XI. Præterea si flumen inter duo territoria fines constituat, ita ut utriusque commune sit, disceprationem meretur, *an alter altero vicino invito Cataractas exstruere possit?* Quæstio hæc eo magis excussione digna, quo amplior hodie usus & utilitas harum Cataractarum deprehenditur, postquam felicissimo successu consiliorum Aulæ nostræ potiora flumina in Marchia & aliis ditioribus Augusti Regis nostri navigabilia sunt facta, & sic Commerciorum vigor, in quo nervus regionis consistit, promotus sit. Viderur autem, hoc casu Principi jus exstruendi haud competere, quia juxta placita juris Romani, in re communi potior sit ratio prohibentis (Cataractas). *L. Sabinus. 28. ff. Commun. divid.* atque secundum normam Juris hujus dijudicari controversias illustres Principum, cum juxta notissimam regulam Dd. hi inter sese utantur jure privatorum. Verum si non aliæ rationes possunt in medium adduci, nil prohibet, quo minus tuto & confidenter Principi jus perficiendi Cataractas in fluvio arcesinio concedamus. Principes enim Germanicos eorumque controversias subjectas esse decisioni juris privati, commune quidem assertum est, at ad communes etiam errores referri suo jure meretur. Potius regula ita formanda est: Principes inter sese litigantes ex Jure Naturæ & Gentium consuetudinibus & observantia immemoriali judicandi sunt, nisi in hoc vel illo capite exceptio, *b. e.* juris civilis receptio, doceatur. add. Dn. Præsid. *Jurispr. Public. Diff. II. §. 26.* Finge vero, hoc casu juxta præscriptum legum Civilium calculum ferendum esse, certe regula illa ex adducta *L. 28.* notabilem illam limitationem patitur, nisi publice intersit fieri, quod unus ex sociis prohibet. Potior enim, juxta regulas sanæ Politicæ, debet esse cura salutis publicæ, quam privata. Conf. Müller. *in addit. ad Struvium, Exerc.*



15. th. 26. lit. Q. Quid vero utilius & Statui alicujus Principis magis proficuum, quam flumina navigabilia reddere, sicque simul Commerciorum (qua animam salutis regionis constituunt) florentiorem amplioremque efficere. Conf. Becher. *Von Flussnaben in Deutscher Städte und Länder.* p. 1.

§. XII. Ceterum quando asseruimus in §. 9. *Capitis hujus*, quod Insula in medio fluvii communis enata ad utrumque territorii Dominum spectet; oritur inde controversia, si *cataraetae ducendae essent per Insulam in flumine tali existentem, an hoc invito altero fieri possit?* quam quaestionem, ex iisdem fundamentis cum priori affirmare nullus dubito. Cum enim tali ratione navigatio & inde pendens facilius cursus mercimoniorum promoveatur, nec alter interesse aliquod, cur minus tali cataraeta vicinus gaudere debeat, pretendere possit, non video, quare ille Princeps in fluminis dimidio ibique nata Insula non possit suam utilitatem promovere. Nam tacitam illam conditionem prius illis, qui per fluvium fines duorum territoriorum constituerunt placuisse praesumendum est, ut vellent quidem fluvium communem esse, non tamen ita, ut alter impediendus esset, si quidem suam utilitatem promotam cuperet. add. Dn. Strykii *laudata Dissert. de Jure Cataract.* Cap. 3. §. 13. Accedit, quod omnium Dd. calculo, si duo diversi ripae Domini sint, jurisdictionis & potestas se extendat usque ad dimidium fluvium. Georg. Mohr. *Tr. de Jure venand. aucupand. & piscand. cap. 7. num. 8.* Hier. de Monte *de Finibus regund. cap. 24. num. 9.* Hinc citra dubium licet Domino in sua parte Insulae cataraetas perficere.

§. XIII. Multo magis Princeps omnia in flumine constituta ante fines territorii sui agere potest, si flumen totum ad ipsum spectat, ceu hoc haud raro contingit, uti patet ex §. 9. Quod si hoc casu cataraetas exstruendas curet, licet vicini damnum inde patiantur, suo jure utitur, nec alicui facit injuriam, quae res & privato licet contra vicinum privatum, ceu patet ex *L. Fluminum 24. §. fin. & L. Proculus 26. ff. de Damn. Infect.* Nec enim jure civili duntaxat illud introductum est; sed etiam jure conato, quod naturale vocare solemus, cuilibet permittendus est liberissimus rei suae usus, si modo nullum jus in alieno territorio pra-



INTUITU EXTERORUM.

pretendat, sed intra fines Provinciæ suæ subsistat. Dum itaque  
 damnum tali ratione vicino territorio infertur, ejusque commer-  
 cia forte damnum patiuntur, id casui & vicissitudini negotiorum  
 humanorum imputandum est. Et maxime ita comparatum est  
 cum incremento & decremento Provinciarum, ut non semper  
 uno loco illa stent; sed modo hæc, modo alia provincia copiis  
 locuples, gloria beata prædicanda sit, prout scilicet ad gubernacu-  
 la Reipubl. sedent viri periti & utilitatis provinciarum suarum  
 amantes, de qua re fusius actum est a Dn. Præsid. *de Incremen-  
 tis Urbium Germanicarum.* addat. Henric. Michael *Respons.*  
*24. de Prohibita ædificat. in vicinia Civitatum.*

§. XIV. A Flumiæibus progredimur ad ipsum Mare. An in  
 hoc limites Provinciales possint constitui, anxie aliquando disce-  
 ptatum est Anglos inter Batavosque, & postquam Incomparabilis  
 vir, Hugo Grotius, pecculari libello, Mare esse Domini & limitum  
 incipax, demonstrare conatus est; ac contrariam sententiam pro  
 dominio maris non minus strenue defendit decus nationis An-  
 glicanæ, Janus Seldenus, de *Mari clauso*; eruditi desuper in  
 duo castra, quasi agmine hæto, secesserant, ita tamen, ut plures  
 pro Seldeno, quam Grotio calculum posuerint. Equidem de in-  
 teriori mari, quod intra fines cujusdam Imperii concluditur, v. e.  
 Mari Hadriatico, sive *Golfo di Venetia*, facilis consensus est, quod  
 ad limites territorii pertinere possit. Verum de exteriori mari  
 sive Oceano, non aequè convenitur. Nec solum res substitit in  
 velitationibus Doctorum, sed Anglos & Belgas in cruenta præ-  
 lia armavit. Quæ ab utraque parte rationes afferantur, nostrum  
 nunc non est repetere, cum legi possint, præter laudatos Auctores,  
 apud Grafwinckelium, Schoekium, tr. *de Mari Libero*, Boecler,  
 ad Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 3.* Strauch. *Diss. de Imp.*  
*Mar. c. 2.* aliisque. Tandem vero Pace Bredana Anglos inter Pro-  
 tectore, id temporis, (vel potius Usurpatore Regni) *Olivario Crom-*  
*wello*, & Belgas pax coit, ubi inter alia cantum est, ut Batavi om-  
 ni piscatione intra decimum ab Anglia milliare abstinerent.  
 Conf. Dn. Becman. *Hist. Orb. Terr. Geograph. & Civil. cap.*  
*4. §. 2. & in Meditat. Politic. Diss. VI. §. 2.* Unde patet, fi-  
 nes territoriales Angliæ usque ad X. lapidem in mare usque se  
 extendere, & frustra libertatis marinæ assertores urgere, quod O-  
 ceano



ceano non possunt insigi limites. Hinc nullam approbationem meretur, quod bonus Ambrosius, suo tempore, *Hexaemer. cap. X.* pronunciavit: *Geometram audivimus, Thalassometram nunquam.* Nam omnino termini & limites possunt poni in mari. Ad sunt sane scopuli, brevia, adversa invicem Promontoria; Insulae hinc inde sparsae, quibus linearum rigores, versurae, seu flexus angulorum, collae, gammae, ut agrimensores loquuntur, sumi possunt. Sed & ex gradibus longitudinis, latitudinisque & triangulorum doctrina praesens remedium. add. Strauch. *d. Diss. cap. 2. Excell. Dn. Hoppius Comm. ad Instir. ad rit. de Rev. Divis. §. 2. voce Mare.*

§. XV. Ceterum promissi nostri in fine praecedentis Capituli facti memores, progredimur ad forum Principum de limitibus Provincialibus inter se contententium. In cujus questionis ventilatione Principes ac Status Imperii nostri bene comparandi sunt ab aliis Principibus extra illud constitutis. Quae distinctio non propterea adfertur, ac si Principes nostri non aequae omnibus juribus Majestaticis fruenterentur in suis territoriis, quippe plenissime iis concessis in *Instrument. Pacis Westphalicae Artic. V. §. gaudeant*, aliisque convenientionibus, sed quia Principibus nostris placuit per conventiones publicas, ut lites inter ipsos ortae, certa praescripta forma debeant componi. Placuit itaque ipsis primum controversias suas coram *Austregis* ventilare, quas nervose delineat Ill. Dn. Stryk. *duabus Diss. de Foro Austregario, & in Diss. de Foro Principum & privator. communi Cap. I.* Quod si vero coram hisce Austregis res ad beneplacitum utriusque partis decidi haud possit, provocatio ad superiora Imperii judicia salva est. Solent tamen interdum vicini Principes, aut alii partibus faventes autoritatem suam interponere, & amicabilem compositionem suadere. Sic cum 1587. in Ducatum Pomeranicum & Megapolitanum fines Provinciales ordinarentur, Rex Daniae & Dux Julius Brunsvicensis, in honorem utriusque Domus, hanc operam in seriet suscepit per Legatos. vid. *Herzog Johann Friedrichs Landtags-Ab-schiedt zu Dreptow, de an. 1585. 19. Octobr.*

SOLI DEO GLORIA.











ULB Halle

004 068 491

3



f


sb.











B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO IVRIDICO-POLITICA  
DE  
RE LIMITVM  
PROVINCIALIVM

Vom Recht 1704 46  
Land-Gränzen.

QVAM  
PRAESIDE  
COBO BRVNNEMANNO

V. D. ET PROFESSORE PVBL. EXTR.  
DESIGNATO ASSESSORE SCABINATVS REGII-  
SSO-POMERANICI, VT ET STATVVM PRO-  
VINCIALIVM IBIDEM SYNDICO

N ALMA REGIA FRIDERICIANA  
CTORVM EXAMINI IN CATHEDRA SVBIICERE VOLVIT  
BEATA MORTE PRAEVENTVS  
EIVSDEM AVTOR

CHALEON RVDOLPHVS BERNDIS  
OSTERBVRGO-PALAEO-MARCHICVS.

QVAE IN FIE DEFVNCTI MEMORIAM TYPIS EXSCRIPTA EST

VITEMBERGAE,  
TIBVS EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDII,  
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1738.

(10)

Halae 1704